Honora patrem tuum, & matrem. *Primus enim gradus iſte pietatis eſt, namque hos auctores tibi eſſe voluit Deus. Honora obſequiis, ut abſtineas a contumeliis, quia ne vultu quidem lædenda pietas eſt parentum. Sed parum eſt non lædere, quia Lex*

Ex. 21. 17

proſpexit, ne patiantur injuriam. Qui *enim maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. & honora, ut bonus ſis. Aliud eſt Legis beneficium, aliud pietatis officium. Honora tuos,*

Luc. 2. 51.

quia ſuos Dei Filius honoravit. Legiſti enim, Et erat ſubditus illis: *Si Deus ſervulis, quemadmodum tu parentibus? Honoravit igitur Joſeph, & Mariam Chriſtus, non natura debito, ſed pietatis officio. Honorabat & Patrem Deum, quemadmodum nemo potuit honorare, ut eſſet obediens uſque ad mortem. Honora ergo & tu parentes. Eſt autem honor non ſolum honorificentiæ, ſed etiam largitatis:* Viduas honora, quæ vere Viduæ ſunt.

1. Tim. 5. 3.

Honor enim eſt deferre pro meritis. Paſce patrem tuum, paſce matrem tuam. Et ſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti dolores, non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt: non reddidiſti obſequia, quibus te illa geſtavit: non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidiſti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium eſſet, ederet, ne quid quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa; quem voluit, cibum non accepit, tibi, quem noluit, cibum ſumpſit, tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere pateris? O fili, quantum tibi ſumis judicium, ſi non paſcas parentem? Illi debes, quod habes, cui debes, quod es. Quantum judicium, ſi paſcat Eccleſia, quos tu nolis paſcere!

1. Tim. 5. 16.

Si quis fidelis, *inquit, aut ſi quaſi fidelis* habet Viduas, ſubminiſtret illis, ut non gravetur Eccleſia, ut his, quæ vere Viduæ ſunt, ſufficiat. *Hoc de extraneis, quid de parentibus?... Nonne audiſti, quia Dives ille in byſſo, & purpura recubans, cujus de menſa micas Lazarus colligebat, pœnis cruciatur æternis, quia pauperi non impertivit alimenta? Si non donare extraneis grave eſt, quanto gravius excludere parentes? Sed dicis, te, quod eras parentibus collaturus, Eccleſiæ malle conferre; Non quærit donum Deus de fame parentum. Unde reprehendentibus Judæis, quia Diſcipuli Domini manus non la-*

Matth. 13, 5. & 6.

varent, reſpondit Jeſus, Quicumque dixerit, Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit, non honorificabit patrem, aut matrem... *Ideſt, cum petit aliquid ad ſumptum egens pater, aut mater a filio, quia Legem timens Judæus excuſationem non dandi requirit, dicere ſolet:* Munus quod eſt ex me, tibi proderit, *ut dicatam a filiis Deo pecuniam pater religioſus accipere reformidet. Sed hæc traditio hominum eſt excuſationes obtexentium avaritiæ ſuæ. Ceterum Dei traditio eſt, ut prius paſcas parentes. Nam ſi juxta Divinum Oraculum contumelia parentis morte luitur, quanto magis fames, quæ morte gravior eſt?*

Septimum erga parentes officium.

Septimum reverentiæ, & honoris erga parentes officium in eo poſitum eſt, ut periculoſe ægrotantibus præſto ſint filii, dentque operam, ne quid illi prætermittant, quod vel ad peccatorem Confeſſionem, vel ad reliquorum Sacramentorum ſuſceptionem, & cætera moribundi hominis officia pertinet: curent denique, ut pii, religioſique homines eos crebro inviſant, qui vel imbecillos confirment, & conſilio juvent, vel optime animatos ad ſpem erigant immortalitatis, & ad Chriſtiane moriendum diſponant, & adhortentur.

Poſtremum erga parentes officium.

Octavum, ac poſtremum honoris erga parentes officium eſt, funeris, exequiarum, atque ſepulturæ honorifica procuratio, necnon Sacrificiorum anniverſariorum, ac piacularium precum pro illorum animabus: Teſtamenti ab illis conditi, ſupremæque voluntatis executio, ac eorum, quæ ad pias cauſſas ab ipſis legata ſunt, diligens, & accurata ſolutio.

§. IV. *Reverentiæ, & honoris erga Paſtores, & Presbyteros officia.*

Paſtores, & Sacerdotes diligere debemus.

NOn ii modo honorandi ſunt, ex quibus nati ſumus, ſed & alii, qui patres appellantur, præſertim vero patres ſpirituales, & Paſtores Animarum noſtrarum de quibus 1. ad *Tim.* 5. ſcriptum eſt: *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Ipſis in primis debetur ſincerus, & caſtus amor, quo ut Dei Miniſtri præcipua quadam ratione diligantur. Cujus erga Apoſtolum amoris documentum Galatæ dederunt, quibus præclarum illud benevolentiæ ſibi exhibitæ teſtimo-

Gal. 4.

nium præbet, Epiſtolæ ad ipſos ſcriptæ c. 4. *Teſtimonium perhibeo vobis quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Hinc idem Apoſt. 1. ad Theſſ. c. 5 ſcribet: *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate, propter opus illorum: Pacem habetem cum eis.* Hi colendi, & diligendi ſunt, ut *Miniſtri Chriſti*, ut *Diſpenſatores Myſteriorum* Dei, ut Chriſti ad homines legati, quorum reverentiam multo magis, quam Sacerdotum antiquæ Legis, imperat Spiritus Sanctus Eccleſiaſtici c. 7. *In tota* (inquit) *anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, & Miniſtros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.*

Plebs Chriſtiana paſtoribus ſuis

Alterum reverentiæ, & honoris erga Sacerdotes, & Paſtores officium eſt, ut quæ ad vitæ uſus neceſſarios requiruntur, illis abunde, libenter, & ex animo ſuppeditentur, quemadmodum S. Paulus 1. ad Cor. 9. docet... *Quis* (inquit) *militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & Lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in Lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti? Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare: & qui triturat in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus; magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus.*

neceſſaria ſubminiſtrare debet.

Et Eccl. 7. ſcriptum eſt: *Honorifica Sacerdotes, & purga te cum brachiis. Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis.* Huc etiam ſpectant, quæ de primitiis, & decimis in domum Dei conferendis, *Ex.* 22. & 23. *Lev.* 27. & *Nu.* 28. præcipiuntur. Hinc S. *Ambr.* Lib. 8. in Ev. ſecundum Lucam: *Da ergo prius parenti,* inquit, *da etiam pauperi, da illi Presbytero, quod tibi abundat terrenum, ut ab illo accipias ſpirituale, quod tibi deeſt; etenim qui honorat, honorabitur. Vide ergo, quia ille cum accipit, tradit, & accipit non quaſi inops, ſed quaſi remuneraturus majori menſura.*

Deut. 15.

Cum ſuſtentatio Paſtoribus divino, & naturali jure debita ſit, dicente Chriſto, Lucæ 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, recte Eccleſia Veteris Legis præceptum de ſolvendis decimis, quod ad cæremonias non pertinebat, ſed ad judicia, ſive politiam, renovavit, & ea, quam a Chriſto accepit, in Chriſtianos omnes auctoritate impoſuit. Qua de re legendi Canon, *Si quis Laicus*, & Canon *Decimas*, cauſſa 16. quæſt. 1. cap. *Pervenit*, cap. *Nuncios*, cap. *Cum homines*, cap. *Parochianos*, cap. *A nobis*, & alia, Extra, *De Decimis*. Et Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 12. *Non ſunt ferendi*, inquit, *qui variis artibus Decimas Eccleſiis obvenientes ſubtrahere moliuntur, aut qui ab aliis ſolvendas temere occupant, & in rem ſuam vertunt, cum Decimarum ſolutio debita ſit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur S. Synodus omnibus, cujuſcumque gradus, & conditionis ſint, ad quos Decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, impoſterum Cathedrali, aut quibuſcumque aliis Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant. Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur. Hortatur dehinc omnes, & ſingulos pro Chriſtiana caritate, debitoque erga Paſtores ſuos munere, ut de bonis ſibi a Deo collatis, Epiſcopis, & Parochis, qui tenuioribus præſunt Eccleſiis, large ſubvenire ad Dei laudem atque Paſtorum ſuorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam non graventur.*

Decimarum ſolutio.

Decimarum porro ſolutio Chriſtianæ Plebi eo nomine perſuadenda eſt, quod Deus, qui dignatus eſt totum dare, Decimam a nobis dignatur repetere, non ſibi, ſed nobis profuturam. Sic enim per Prophetam promiſit; (Malachiæ 3.) *Inferte omnem decimam in horreis meis, ut ſit cibus in domo mea, & probate me in his, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & dedero vobis fructum uſque ad abundantiam.* Et Prov. 3. *Honora Dominum Deum tuum de tuis juſtis laboribus, & deliba ei de fructibus juſtitiæ tuæ, ut repleantur horrea tua frumento, vino quoque torcularia tua redundent.* Inculcandum eſt ipſos Dei ſervos eſſe, & colonos, cujus eſt terra, & plenitudo ejus, poſſeſſorem proinde, ac Dominum agnoſcere debere; Decimas eſſe tributa Deo debita. Redde ergo (inquit *Sanctus Cæſarius Arelatenſis* Sermone 77.) *Redde tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus: quod ſi Decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola, quodcumque te paſcit ingenium, Dei eſt, & inde Decimas expetit, unde vivis: De militia, de negotio, de artificio redde decimas... Cum decimas dando, & terrena, & cæleſtia poſſis munera promereri, quare per avaritiam duplici te benedictione defraudas?... Noſti, quia Dei ſunt cuncta, quæ percipis, & de ſuo non accommodas rerum omnium Creatori? Non eget Dominus Deus, non præmium poſtulas, ſed honorem, non de tuo aliquid exigit, quod refundas. Primitias rerum, & Decimas petit, & negas? Avare, quid faceres, ſi novem partibus ſibi ſumptis tibi decimam reliquiſſet? Quod certe jam factum eſt, cum meſſis tua pluviarum benedictione ſubtracta jejunia defecit, & vindemiam tuam, aut grando percuſſit, aut pruina decoxit... Novem tibi partes detractæ ſunt, quia decimam dare noluiſti... Hæc enim eſt juſtiſſima Domini conſuetudo, ut ſi tu decimam illi non dederis, tu ad decimam revoceris.* Sermo erat inter Auguſtinianos alias 219. *De Tempore* nunc in Appendice 277.

Decimarum ſolutio qua ratione plebi Chriſtianæ perſuadenda.

Et can. *Decimæ*, cauſſa 16. quæſt. 1. ſub S. *Auguſtini* nomine: *Decimæ ex debito requiruntur: & qui eas dare noluerit, res alienas invaſit*, Paſtores itaque jus habent decimas exigendi, ſive prædiales, quæ ex prædiis, locatione agrorum, vel domorum, piſcinis, lacubus, molendinis, &c. ſive perſonales, quæ ex perſonarum negotiatione, militia, artificio, ſive mixtas, quæ ex animalium fœtu, lana, lacte, &c. educuntur, *ſecundum conſuetudinem patriæ, & indigentiam* ipſorum Miniſtrorum, ut ait S. Thomas, 2. 2. q. 87. art. 2. ad primum. Horum tamen *honeſtati non convenit*, ut de minutis rebus, herbis videlicet, aut leguminibus, quæ in hortis creſcunt, decimas exigant, ut loquitur idem S. Doctor in Reſponſione ad tertiam objectionem. Nec de hujuſmodi minutis rebus tenentur Fideles Decimas dare,

dare, *Niſi forte propter conſuetudinem patriæ.* Perſonales decimæ in Galliis non ſolvuntur, ſed prædiales duntaxat, & mixtæ. Ceterum *Laudabiliter Miniſtri Eccleſiæ decimas non requirunt, ubi ſine ſcandalo requiri non poſſent, propter deſſuetudinem, vel propter aliquam aliam cauſſam. Miniſtri*, ſcilicet *Eccleſiæ majorem curam debent habere ſpiritualium bonorum in Populo promovendorum, quam temporalium colligendorum.* Unde Apoſtolus noluit uti poteſtate ſibi a Domino tradita, ut ſtipendia victus acciperet ab his, quibus Evangelium prædicabat, ne impedimentum afferretur Evangelio Chriſti. *Nec ſunt in ſtatu damnationis* Chriſtiani, *qui non ſolvunt* decimas *in locis illis, in quibus Eccleſia non petit, niſi forte propter obſtinationem animi, habentes voluntatem non ſolvendi, etiamſi ab eis peterentur* inquit *S. Thomas*, 2. 2. qu. 87. art. 1. in Reſponſione ad quintam objectionem.

Idem confirmat Quodlibeto 2. q. 4. art. 3. *Nulla*, inquit, *conſuetudo contraria ſolvit hominem ab obligatione reddendi Decimas, quia hæc obligatio fundatur ſupra jus divinum, & ſupra jus naturale: unde ſemper tenentur homines reddere decimas, ſi Eccleſia exigat, etiam contraria conſuetudine non obſtante. Et in terris, in quibus eſt conſuetudo, quod decimæ ſolvantur, ipſa conſuetudo quaſi expoſtulat decimas; unde peccaret, qui non redderet. Sed in terris, in quibus non eſt conſuetudo, & Eccleſia non petit, videtur Eccleſia remittere, dum diſſimulat: & ideo homines in terris illis non peccant, decimas non dando.*

Peccatum decimam non ſolventium.

Ubi ergo Eccleſia Decimas exigit, quod jure ſuo poteſt, lethalis peccati rei ſunt laici, qui decimas non ſolvunt, *Statim fructibus collectis, cum integritate, non deductis ſumptibus*, (ut loquuntur *Alexander III.* c. *Cum homines*, Cæleſtinus III. c. *Non eſt*, & *Innoc. III.* c. *Tua nobis*, & c. *Paſtoralis*, Extra, *De Decimis*.) Peccati etiam lethalis reus eſſet, qui deteriores manipulos, fructus, aut animalium fœtus ſegregaret ad ſolvendas Sacerdotibus decimas, ſibi vero optima quæque retineret.

Obedientia Paſtoribus debita.

Neque vero a peccato lethali immunis eſt pauper Decimas non ſolvens diviti Sacerdote. *Reddere etenim debitum eſt actus juſtitiæ; & ideo ad hoc, quod alicui reddatur, quod ei debetur, non refert, utrum ſit dives, vel pauper. Decimæ autem Sacerdotibus debentur, tum jure naturali*, quia *Naturalis ratio dictat, ut qui pro populo in ſpiritualibus laborant, a Populo ſtipendia ſuæ ſuſtentationis accipiant*: tum jure divino, quia *Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*, ſic dicitur 1. ad Corinth. c. 9. *Tum etiam ex Statuto Eccleſiæ.* Unde *quamvis Sacerdos ſit dives, nihilominus pauper tenetur ei decimas ſolvere.*

Tertium reverentiæ, & honoris erga Paſtores, & Sacerdotes officium eſt obedientia in omnibus, quæ ordinem, & diſciplinam Eccleſiæ, ac bonum ſalutis æternæ ſpectant. Chriſtus enim monet *Matt.* 23. Scribis, & Phariſæis ſuper Cathedram Moyſis ſedentibus parendum eſſe. *Quæcumque*, inquit, *dixerint vobis, facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere.* Et Apoſt. ad Hebræos 13. *Obedite*, inquit, *Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Hinc idem Apoſtolus perambulans Syriam, & Ciliciam, & confirmans Eccleſias, Præcepta Apoſtolorum, & Seniorum obſervari juſſit, ut legimus *Actuum* 15. Moſaicæ Legis Sacerdotibus ſi quis obedire ſuperbe recuſaret, capitali ſupplicio plectebatur, Deuter. 17. *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtret Domino Deo tuo, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſque Populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* Gravioribus certe pœnis digni ſunt in foro divinæ juſtitiæ, qui Novæ Legis Sacerdotibus non obediunt, cum longe ſit excellentius Evangelicæ Legis Sacerdotium. Pueros ad venerationem Sacerdotum, & Paſtorum informandos, & aſſuefaciendos ſacra oſtendit Hiſtoria, quæ in pueros *Eliſæum* irridentes Deum urſos immiſiſſe refert, qui ipſos laceraverunt 4. *Regum* c. 2. *Cum aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei dicentes: Aſcende, calve, aſcende, calve. Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Parentibus ſuis inſtigantibus aut certe non reprehendentibus, pueros Prophetam contempſiſſe, & ludibrio habuiſſe, veriſſimum eſt. Unde vindicis Dei imperio ipſos urſi diſcerpſerunt, *Ut percuſſis parvulis majores reciperent diſciplinam, & mors filiorum fieret diſciplina parentum.* Idque grandi pietate, & miſericordia factum eſt. *Ut quia Deo humiliter prædicantibus Prophetis Judæi nolebant credere, vel cum ſeveritate vindictam irrogantem metuerent, & timentes mortem corporum, vel ſic ſaltem requirerent animarum.* Verba ſunt S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi Serm. 22. inter Auguſtinianos alias *De Tempore* 204. nunc in Appendice 41. Chriſtus denique oſtendit, quam grave ſit peccatum contemptus Sacerdotum, & Paſtorum; & inobedientia ipſorum mandatis, cum ait Diſcipulis (*Lucæ* c. 10.) *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit Eum, qui miſit me.*

Porro ſi Eccleſiæ Miniſtris reverentiam, amorem, obedientiam debemus, multo magis ipſi Chriſto, & Eccleſiæ, cujus Miniſtri ſunt: Chriſtus enim Pater noſter eſt, Eccleſia Mater noſtra, qui nos regeneraverunt *Lavacro aquæ, in verbo vitæ*, qui nos Sacramentis, & verbo Dei paſcunt, divinis monitis erudiunt, & ad vitam æternam, quantum in ipſis eſt, perducunt. Ad quam certiſſime perveniemus, ſi ipſis adhæreamus, illorumque Mandatis fideliter pareamus: tuncque regenerationis noſtræ in ſpem vivam pleniſſimum fructum re ipſa carpemus, cum *Occurremus omnes* Chriſto *in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Chriſti*, corpore pariter, & anima beati in æternum futuri.

Eph. 4. 13.

§. IV. *Reverentiæ, & honoris erga Principes, & Magiſtratus Officia.*

Honor, & obedientia Principibus debentur.

PAtrum nomine Principes quoque, & Magiſtratus in Scriptura Sacra appellari obſervamus, immo & *Patres patriæ* Principes appellari, & Magiſtratus *Patres conſcriptos*, in veteri Romanorum Republica ſummo honori ducebatur. Hi enim vero cum publicam tranquillitatem ſervent, juſtas Leges condant, ſuum cuique reddant, reos ſupplicio, bene meritos gratia afficiant, corpora, uxores, liberos, fortunas, & bona ab iniquis invaſoribus defendant, quaſi communes parentes ſunt ex Dei Mandato honorandi, non externa tantum reverentiæ ſignificatione, ſed magis animi judicio ac voluntate, ut in eis Dei miniſterium, & ordinationem agnoſcamus, ac veneremur. Hinc Petrus Apoſtolus ep. 1. c. 2. *Regem*, inquit, *honorificate.* Et rurſus: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei.*

Principibus itaque, & Magiſtratibus, non ſolum honor, ſed & obedientia debentur, quia Dei vice Populis præſident, ac præcipiunt, ut docet Apoſtolus ad Romanos 13. *Omnis*, inquit, *anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim Poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo ordinatæ ſunt. Itaque, qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Ne autem civilem duntaxat damnationem intelligas, ſubdit Apoſtolus: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram*, (ideſt ad pœnam temporalem vitandam,) *ſed etiam propter conſcientiam.* Princeps enim, & Magiſtratus *Dei Miniſter eſt*, recte quidem agentibus *in bonum vindex* vero *in iram ei, qui malum agit.* Et ad Titum ſcribit cap. 3. ut Chriſtianos admoneat, *Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.*

Tributa, & vectigalia ſolvenda.

Hæc autem obedientia complectitur omnia illa officia, quæ ad Reipublicæ utilitatem a Principibus, & Magiſtratibus imperantur, ſcilicet, militare, tributa perſolvere, &c. adeo ut de belli juſtitia, aut tributorum, ſeu vectigalium, aliorumve onerum, ſeu publicarum indictionum æquitate, judicium ad ſolum Principem, executio, & obedientia ad ſubditos pertineat, qui Principis rationes ad examen vocare non debent, & dubia etiam cauſſæ æquitate, illi obedire tenentur, ut docet *Auguſtinus* (Lib. 22. *Contra Fauſtum*, c. 75.) *Ordo ille naturalis* (inquit) *mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes Principem ſit, exequendi autem juſſa bellica miniſterium Milites debeant, paci, ſalutique communi. Igitur, Vir juſtus, ſi forte ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, recte* poteſt *illo jubente bellare civicæ pacis ordinem ſervans, cui quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt, ita ut fortaſſe reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem Militem oſtendat ordo ſerviendi.*

Judicium de illorum æquitate pertinet ad Principem, obedientia ad ſubditos.

Tributorum vero ſolutionem Chriſtus præcipit Matth. 22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Et Ap ad Romanos 13. *Reddite omnibus debita; cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

Preces ad Deum pro Principibus fundendæ.

Ferventiſſimas denique preces ad Deum fundere debemus pro incolumitate, ſalute, proſperitate, & felicitate Principum, quibus ſubditi ſumus. Unde *Baruch* Propheta c. 1. ſcribit ad Judæos, qui Hieroſolymis relicti erant: *Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & pro vita Balthaſſar filii ejus, ut ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram, & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub umbra Balthaſſar filii ejus, & ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum.* Et Jer. 29. Judæis Babylonem deportatis Dominus ait: *Quærite pacem civitatis, ad quam tranſmigrare vos fecit: & orate pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis.* Et Ap. 1. ad Timot. c. 11. jubet *Fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo.* Hinc Tertullianus Apologetici c. 30. *Nos*, inquit, *pro ſalute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præter ceteros malunt. Sciunt quis illis dederit Imperium. Sciunt quis homines, quis & animam. Sentiunt eum eſſe Deum ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, a quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes, & ſuper omnes Deos. Quidni? Cum ſuper omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis antiſtant. Imperator ideo magnus eſt, quia cœlo minor eſt. Illius enim eſt* ipſe,

ipſe, cujus & cœlum eſt, & omnis creatura. Inde eſt Imperator, unde & homo antequam Imperator. Inde poteſtas illi; unde & ſpiritus. Illuc ſuſcipientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium ſecurum, domum tutam, Exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæſaris vota ſunt.

§. V. *Reverentiæ, & honoris Servorum erga Dominos officia.*

Servorum humilis obedientia eſſe debet.

ET Domini reſpectu ſervorum Patres-familias ſunt, quos proinde Servi honorare jubentur quarto Decalogi Præcepto. Illos itaque vereri debent, & colere: illis obſequi non inviti, ſed libenti animo, abſque murmuratione, & contradictione; illis adhærere *Non tam conditionis neceſſitate, quam officii delectatione*; (ut loquitur *S. Auguſtinus* Libro *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ* c. 30.) Non ſolum opera ſibi impoſita exequi cum præſentes Domini ſunt, verum etiam cum abſentes, Deum in Dominis ſuis timere, venerari, cum fidelitate ſervire, conditionem ſuam tanto magis amare, quanto humilior eſt. *Servi* (inquit Apoſtolus ad Epheſios 6.) *obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes ſicut Domino, & non hominibus; ſcientes, quoniam unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber*... Et 1. ad *Timotheum* c. 6. *Quicumque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur. Qui autem fideles habent homines, non contemnant, quia fratres ſunt: ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt, & dilecti, qui beneficii participes ſunt.* Et ad Titum c. 10. Tito præcipit, ut doceat, *Servos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes: ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus.* Et 1. ad Corinth. 7. Servos hortatur, ut conditionis ſuæ humilitatem, ac jugum non ſolum patienti animo ferant, ſed eam ament, conſiderantes in ea ſe Dei providentia, & voluntate conſtitutos, *Unuſquiſque*, inquit, *in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Servus vocatus es? Non ſit tibi curæ: ſed etſi potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, liberus eſt Domini.* Nec vero minus obedire ſervi dominis tenentur, quia pravi fiunt, durique, & immites, ut docet *S. Petrus* Epiſtolæ 1. c. 2. *Servi*, inquit, *ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſte.* Servi igitur *ſuam ſervitutem ipſi quodammodo liberam faciant, non timore ſubdolo, ſed fideli dilectione ſerviendo*; inquit *S. Auguſt.* (Lib. 19. de Civit. Dei, c. 15.) Et Enarratione in Pſ. 124. *Non vult te ſuperbum facere Chriſtus... Non ideo Chriſtianus effectus es, ut dedigneris ſervire. Cum enim Chriſto jubente ſervis homini, non illi ſervis, ſed illi qui juſſit.* Non dixit Chriſtus, Indignum eſt, ut juſtus ſerviat iniquo, ſed ut corroboraret ſervum ait: *Exemplo meo ſervi, prior ſervivi iniquis.* Dominus enim tanta in Paſſione ſuſtinens, a quibus ſuſtinuit, niſi Dominus a ſervis? Et a quibus ſuſtinuit, niſi a malis ſervis? Nam ſi fuiſſent boni ſervi, honoraſſent Dominum; ſed quia mali ſervi erant, injuriis eum affecerunt. Ille veto dilectionem reddit pro odio. *Si Dominus cœli, & terræ, per quem facta ſunt omnia, ſervivit indignis, rogavit pro ſævientibus, & furentibus, & tanquam Medicum ſe exhibuit adveniens: (Nam & Medici & arte, & ſanitate meliores ſerviunt ægrotis:) quanto magis non debet dedignari homo ex toto animo, & ex tota bona voluntate, cum tota dilectione ſervire domino etiam malo?*

Conditionem ſuam amare debent.

Sanctus etiam *Ambroſius* Epiſtola 63. ad Eccleſiam Vercellenſem, eadem ratione ſervos hortatur, ut duris etiam dominis obediant. *Et vos*, inquit, *contemplatione Domini Jeſu, etiamſi difficilibus ſerviatis dominis, cum patientia mercedem habebitis. Siquidem ipſe Dominus juſtus ab injuſtis paſſus eſt, & patientia mirabili peccata noſtra ſua affixit cruci: ut qui illum imitatus fuerit, peccata ſua ſanguine ſuo diluat.*

Exempla ſervis imitanda.

Habent Servi, quos imitandos ſibi proponant in Scriptura Sacra, ſcilicet *Jacob*, qui fideliſſime, ac diutiſſime ſervivit *Laban* ſocero ſuo, *Geneſi* 29. & 30. & caſtum, fidelemque *Joſeph*, qui a Putiphare *Præpoſitus omnibus, & gubernabat creditam ſibi domum, & univerſa, quæ ei tradita fuerant*: ita ut Dominus ejus nihil aliud noſſet, *niſi pane quo veſcebatur*. Cujus pudicitiam cum ſollicitaret domina libidinis impotens, ille *Nequaquam acquieſcens operi nefario*, reſpondit: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua: nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* (Geneſ. 39.)

His adde Regulam Familiæ traditam a Venerabili *Gerſonio*, in Tractatu *De Modo vivendi omnium Fidelium*, Conſideratione 18. *Ne fraudem*, inquit, *Dominis ſuis in ſerviendo negligendo faciant. Fideles ſint in rebus ſuis cuſtodiendis. Nihil ab eis auferant occulte, nec alios facere permittant. Nuntium malum non faciant uxori, vel filiis domini ſui. De male reſpondendo caveant. Malos rumores fugiant, unde in domum malum redundare poſſit, ſed diſcordias etiam reportare vitent. Miſſi cito revertantur. Mercedem ſuam in ſuperbia veſtium non expendant. Ita vivant in humilitate, ut labor eorum eis ſit in remiſſionem peccatorum ſuorum.*

§. VI. *Præcepti Merces.*

Merces a Deo promiſſa, his qui parentes ſecundum ejus mandatum honorant.

HOC mandatum *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, ab Apoſtolo, cap. 6. Epiſtolæ ad Epheſios, dicitur *Primum in promiſſione*, vel quia primum eſt in ſecunda Tabula, habetque promiſſionem illam adjunctam, *Ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram*: vel quia cum ſæpe in Scriptura Sacra obſervantibus mandata Dei, diuturna, felixque vita promittatur, ea tamen primo, ſpeciatimque promittitur honorantibus parentes. Idque convenienti ratione: æquum enim eſt, ut qui beneficii memores ſunt, gratique animi ſignificatione benefactores honorant, beneficio quam diutiſſime perfruantur. Cum igitur qui parentes colunt, iis gratum referant, a quibus poſt Deum, lucis, & vitæ hujus uſuram acceperunt, jure merito diuturna vita illis a Deo promittitur. Unde Apoſtolus ait 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Nec ſolum tranquillam vitam, ſed quietam, ac felicem, honorantibus parentes Deus pollicetur. Hinc parentum benedictionem, ſignum eſſe voluit, omenque benedictionis a ſe conferendæ, pignuſque temporalis etiam felicitatis. Id opere comprobatum eſt in Jacob benedicto ab Iſaac in Ephraim, & Manaſſe, & duodecim Patriarchis a Jacob benedictis. Unde Eccleſ. 3. dicitur: *In opere, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut ſuperveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in noviſſimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Et rurſus: *Sicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat patrem ſuum. Qui honorat patrem ſuum, jucundabitur in filiis, & in die orationis ſuæ exaudietur.* Ideo autem magnam vim parentum benedictioni Deus indidit, ut liberi ad honorem parentibus deferendum impellerentur, ut docet *S. Ambr.* Lib. *De Benedictionibus Patriarcharum*, c. 1. *Quantam* (inquit) *diſcimus parentibus referre reverentiam, cum legimus quoniam, qui benedicebatur a patre, benedictus erat, & qui maledicebatur, maledictus erat. Ideo hanc parentibus gratiam donavit Deus, ut filiorum pietas provocetur. Prærogativa igitur parentum diſciplina eſt filiorum. Honora ergo patrem, ut benedicat te. Honorat pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Et ſi pauper eſt pater, & non habet divitiarum copias, quas relinquat filiis, habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, quam ſanctificationis opes ſucceſſoribus largiatur. Et multo plus eſt beatum, quam divitem fieri.*

Parentum benedictio divinæ benedictionis pignus.

Gen. 9. 25.

Parentum maledictio timenda.

Quantum etiam valeat paterna maledictio, in *Cham*, & *Chanaan* oſtenſum eſt, *Gen. 9.* Nam in multas Chananæorum generationes eſt extenſa. Quin & *S. Aug.* Libro 22. De Civitate Dei, c. 8. refert, decem fratres Cæſareæ Cappadociæ ſuorum civium non ignobiles, maledictione matris, quæ injuriam ſibi ab eis illatam acerbiſſime tulit, tali pœna divinitus eſſe coercitos, ut horrendum in modum quaterentur omnes tremore membrorum: in qua fœdiſſima ſpecie oculos civium ſuorum ferre non valentes, quaquaverſum cuique ire viſum eſt, toto pene Orbe Romano vagabantur. Illorum natu major gravibus, atque intolerandis communem matrem affecerat injuriis, ita ut ei etiam manus inferre non dubitaret. Alii omnes congregati patienter tulerant, ut ne verbum quidem fratri pro matre ſua dicerent. Mulier doloris ſtimulis incitata, injurioſum filium maledicendo punire ſtatuit. Dæmonis in ſpecie patrui filiorum adſpectabilis inſtinctu omnibus maledixit. Sacrum Baptiſmatis fontem provoluta corripuit, & ſparſis crinibus, nudatiſque uberibus, a Deo poſtulavit, ut extorres patria, & circumeuntes alienas terras, omne hominum genus ſuo terrerent exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta proſecuta eſt. Filium ætate, culpaque majorem horrendus membrorum tremor protinus invaſit. Ceteros, ſervato ordine, quo nati erant, intra unum annum eadem pœna corripuit. Videns mater maledictionem ſuam tantam vim habuiſſe, impietatis ſuæ conſcientiam, & opprobrium hominum diutius ferre non potuit, ſed laqueo guttur adſtringens, miſeram vitam termino funeſtiore concluſit. Decem filii opprobrii impatientes communi patria relicta per diverſas regiones diſperſi ſunt. Natu major ſanatus eſt Ravennæ ad memoriam *Sancti Laurentii* Martyris, ſextus nomine *Paulus* cum Sorore Hipponem ſe contulit ad Memoriam *S. Stephani* Protomartyris, monitu *B. Auguſtini* Epiſcopi, qui ipſis adhuc in vivis agens, & neſciens apparuit. Ibique magnis cum lacrymis orans, ſanatus eſt, ſorore ad omnium eruditionem cunctis membris adhuc contremiſcente. Rem ita narrat *Paulus* ipſe in Libello, quem *S. Auguſtino* jubente obtulit, Feria tertia Paſchæ, anno forſitan quadringenteſimo vigeſimo quinto, quique in publico plebis Hipponenſis Conventu recitatus eſt in Eccleſia. Ea occaſione *S. Aug.* Serm. habuit, qui nunc 323. eſt, alias 32. *De Diverſis*, in quo hæc habet: *Miſericordia quidem Dei, ſicut credendum eſt, omnes iſti fratres, quos una Dei ira materna plaga percuſſit, ad hujus de quo gaudemus quandoque perventuri ſunt ſanitatem. Verumtamen diſcant filii obſequi, timeant parentes iraſci. Scriptum eſt:* Benedictio patris firmat domum filiorum: maledictio matris eradicat fundamenta. *Modo iſti per terras in fundamentis patriæ ſuæ non ſunt: præbent ubique ſpectaculum, proponunt ſuum ſupplicium: præbent oculis miſeriam ſuam, terrent ſuperbiam alienam. Diſcite filii, quod dicit Scriptura, reddere honorem parentibus debitum. Sed & vos, Parentes, quando offendimini, parentes vos eſſe recordamini. Oravit mater contra filios, exaudita eſt; quia Deus vere juſtus eſt, quia vere injuriam paſſa fuerat. Unus ipſorum & verba contumelioſa, & manus injecerat, & ceteri matris injuriam patienter tulerunt, nec unum pro ea verbum contra fratrem reſponderunt. Juſtus Deus, qui audivit precantem, audivit dolentem. Sed quid illa miſera? Nonne unde citius exaudita, inde plus punita? Diſcite hoc petere a Deo, ubi non timeatis exaudiri?* Hæc Hiſtoria, cujus veritas *S. Auguſtino*, totaque Eccleſia Hipponenſi teſtibus probata eſt, oſtendit, quam grave ſcelus ſit filiorum, qui patrem, & matrem non honorant, quanta vis ſit paternæ, aut maternæ maledictionis, quam grave denique ſit peccatum parentum, qui ex ira, & coloris impatientia, vindictæque animo filiis maledicunt, & quam ſerio monendi ſint ut ab hujuſmodi imprecationibus caveant.

Exemplum terribile.

Eccl. 3.

Rogabit quiſpiam. Quomodo divini promiſſi fides, & conſtantia indicari poteſt, cum interdum filiis, qui majorem pietatem parentibus præſtiterunt, brevior ſit vita.

Cur interdum piis erga parentes filiis brevior ſit vita.

Sap. 4.

Tribus de cauſſis id contingere docet Concilii Tridentini Catechiſmus: vel quod iis optime conſulitur, qui prius vita excedunt, quam a virtutis, & officii religione diſcedant, quibus illud Sapientis Oraculum jure meritoque accommodatur: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam illius*: vel quia, dum publica perturbatio, & calamitas impendent, ad meliorem vitam a Deo vocantur, ne eorum virtus, aut ſalus periclitetur, cum a mortalibus flagitiorum pœnas repetit. Unde Iſaiæ c. 57. ſcriptum eſt: *A facie malitiæ collectus eſt injuſtus*: vel ne triſtiſſimis temporibus ex propinquorum amicorumque calamitatibus acerbiſſimos luctus ſentiant. Quare metuendum eſt majorem in modum, cum viris bonis immatura mors accidit. His explicatur *S. Th.* Reſponſio 2. 2. q. 122. a. 1. ad 4. *Quia* (inquit) *præſentia bona, vel mala non cadunt ſub merito, vel demerito, niſi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem: ideo quandoque ſecundum occultam rationem divinorum judiciorum, quæ maxime futuram remunerationem reſpiciunt, aliqui, qui ſunt pii in parentes, citius vita privantur, alii vero qui ſunt impii in parentes, diutius vivunt.* Quod tempore Legis Gratiæ maximæ locum habet, quia promiſſiones temporalium, & terrenorum bonorum in Veteri Teſtamento proponebantur carnalibus Judæis, promiſſiones vero ſpiritualium, & æternorum bonorum in Novo Teſtamento proponuntur Chriſtianis. Unde ad Vetus Teſtamentum præcipue referenda eſt promiſſio longævitatis ſuper terram iſtam, in qua mortales habitamus, iis facta, qui parentes honorant: ad Novum autem Teſtamentum immortalis, æternaque vita in *Terra excelſa, Terra nova, Terra viventium*, quam humilibus promiſit Chriſtus *Matth.* 5. dicens: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Quam quidem non aliud eſſe quam Regnum cælorum beatitudo ſequens oſtendit: *Beati* (inquit) *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Eoſdem enim eſſe humiles, ſive mites, pauperesque ſpiritu compertum eſt, cum divitiarum cupiditas ſuperbos, amor vero paupertatis humiles, ac manſuetos homines faciant. Terræ hujus excelſæ, & inviſibilis typus, ac figura fuit Terra Chanaan Populo Judaico a Deo promiſſa, terra optima, lacte, & melle fluens. Verum figura ad carnales Judæos pertinuit, veritas autem, ſeu res per terram illam ſignificata, ad Chriſtianos pertinet, qui non contemplantur *Ea, quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt*: ait Ap. 2. ad Cor. 4. Sic Abraham, Iſaac, & Jacob, jam tunc fide Chriſtiani Terram Chanaan ipſis a Deo promiſſam ſpectarunt, teſte Apoſtolo, ep. ad Hebræos 11. c. *Fide*, (inquit) *demoratus eſt* Abraham *in Terram repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando, cum Iſaac, & Jacob cohæredibus repromiſſionis ejuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor Deus... Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti: non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Et ſi quidem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, ideſt, cæleſtem.* Sic ergo promiſſio Abrahæ, aliiſque Patriarchis facta, cœleſtis ſimul erat, & terrena; cœleſtis, prout ipſam fide intuebantur, terrena, prout poſteris eorum terræ adhærentibus, & terrena ſola ſpectantibus, & deſiderantibus proponebatur; ita promiſſio adjuncta præcepto de honorandis parentibus litteralis, & carnalis eſt pro Judæis carnalibus, ſpiritualis potiſſimum eſt pro ſpiritualibus Iſraelitis, ſcilicet Chriſtianis, quibus non anguſtam regionem, qualis erat Judæa, ſed Regnum nullis finibus circumſcriptum, non terram, ſed cœlum, non diuturnam in hoc ſæculo vitam, *Quæ mors potius dicenda eſt*, quam vita, ſiquidem *quotidianus defectus corruptionis eſt quædam prolixitas mortis*, ut loquitur *S. Greg.* Hom. 37. in Evangelia, ſed vitam immortalem, & æternam Deus promiſit.

Deut. 3. Apoc. 21. Pſal. 29.

Impiorum ingratorumque filiorum pœnæ.

Ex. 21. 17.

Quemadmodum autem iis, qui grati in parentes ſunt, merces a Deo propoſita eſt, promiſſioque facta vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, ſic ingratis, impiiſque filiis graviſſimas pœnas Deus comminatur. Scriptum eſt enim. *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur.* Prov. 19. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominioſus erit, & infelix.* Prov. 20. 20. *Qui maledicit patri ſuo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Et c. 30. 17. *Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Ezech. 22. *Patrem, & Matrem contumeliis affecerunt in te... Verecundiora patris diſcooperuerunt in te... Et congregabo vos, & ſuccendam vos in igne furoris mei.* Qui parentibus injuriam intulerunt, multos fuiſſe legimus, in quibus ulciſcendis ira Dei exarſit. *Chami*, qui patrem ſuum *Noe* ebrium, ac nudatum irriſit, nota maledictio in filio *Chanaan*, Gen. 9. Injuriarum patri *David* illatarum debitas pœnas dedit *Abſalon*, quem ob ejus ſcelus e quercu ſuſpenſum, & tribus lanceis transfixum, miſera morte perire voluit Deus juſtus judex. (2. *Regnum* 18.)

ARTICULUS II.

De Officiis Parentum erga filios, Paſtorum erga plebes, Principum, & Magiſtratuum erga ſubditos, Dominorum erga ſervos, Toparcharum erga vaſſalos.

Reciproca ſunt filiorum erga parentes, & parentum erga filios; ovium in Paſtores, & Paſtorum in oves; Subditorum in Principes, & Magiſtratus, & Principum, ac Magiſtratuum in ſubditos, ſervorum in dominos, & dominorum in ſervos officia: Utraque naturæ Lege hominum animis inſcripta; utraque poſitiva Dei Lege præſcripta.

§. I. *Parentum erga filios Officia.*

Filiorum cura.

UT filii Parentes honorare debent, ita Parentes filios amare, ipſiſque providere, ut coram Deo hunc honorem mereantur, & tueantur. Debent in primis filios alere, educare, coram ipſorum gerere diligentem, ne quid ipſis infauſti contingat, dum parvuli ſunt, ne in ignem, vel aquam cadant, ne claudi, gibboſi, aut luſci fiant; qua in re negligentia parentes gravi peccati reos facit. Debent ipſi vivendi ſubſidia, cum adulti fuerint, ſubminiſtrare, *Nec enim debent filii parentibus theſaurizare; ſed parentes filiis*; (inquit Apoſt. 2. ad Corinth. 12. 14.) Id autem præſtant parentes, non tantum cum annuos redditos, aut prædia filiis aggregant: ſed etiam cum artem, vel opificium docent, quo vitam honeſte tranſigant.

Chriſtiana filiorum educatio.

Secundo, inſtructionem, & diſciplinam filiis debent parentes. Eorum officia ſunt (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus) ut ſanctiſſimis diſciplinis, ac moribus filios imbuant, iiſque optima dent vivendi præcepta, ut ad Religionem inſtructi, & parati, Deum ſancte, inviolateque venerentur, quod a parentibus Suſannæ factum eſſe legimus, Dan. 13. *Parentes enim illius, cum eſſent juſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi*: idemque Tobiæ filio præſtitum a Patre. *Tobiæ* c. 1. *Accepit uxorem Annam de Tribu ſua: genuitque ex ea filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Et quia plerumque parentes, aut non norunt, aut aliis impediti negotiis, non valent filios ſuos inſtituere, & erudire, tales Magiſtros, ac Præceptores ipſi procurare debent, qui Chriſtianam Fidem, & vitæ ſecundum Deum agendæ officia, & præcepta eos optime doceant. Hoc parentum erga filios officium non uno in loco Scriptura Sacra commendat. Deut. 11. *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris... Docete filios veſtros ut illa meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque ſurrexeris.* Et Eccl. 30. *Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium ſuum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo: In obitu ſuo eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis. Reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.... Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Apoſtolus etiam ad Epheſios 6. parentum officia erga filios explicans; *Educate illos*, inquit, *in diſciplina, & correctione Domini.* Lugenda ergo parentum quamplurimorum cæcitas, qui in hac una cogitatione, curaque verſantur, ut opes, ut pecunias, ut lautum, ampluinque patrimonium liberis relinquant: Fidem vero, Religionem, pietatem, caritatem, & beneficientiam in pauperes, manſuetudinem, humili-

militatem, patientiam, modeſtiam, ſæculi contemptum, mortificationem, quibus poſſint in æternum vivere, eos docere negligunt: quo fit ut ad illos non tam rerum copias, quam ſua crimina transferant, nec illis ad cœlum ſe duces præbeant, ſed ad inferorum ſupplicia ſempiterna. Docendi ſunt igitur parentes, Nullam eſſe ampliorem hæreditatem, nec præclarius patrimonium quod filiis relinquere poſſint, quam ſi effecerint, ut optimi Chriſtiani evadant: quæ virtus omni terreno theſauro multo pretioſior eſt cenſenda, ut loquitur Conc. Mediol. 5. ſub *S. Carolo Borromæo*, tit. *De iis, quæ ad Matrimonium pertinent*: Qua de re & *S. Cyprianus* Lib. *De Opere, & Eleemoſynis*, præclare Chriſtianos Parentes commonet: *Qui ſtudes*, inquit, *terreno magis quam cœleſti patrimonio filios tuos diabolo magis commendare, quam Chriſto, bis delinquis, & geminum, ac duplex crimen admittis: & quod non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium, & quod doces filios patrimonium plus amare, quam Chriſtum. Eſto potius liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da utilia, & ſalutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: manda filiis tuis, quod & ille filio mandavit*, dicens: Omnibus

Tobiæ 4.

diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri. De ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: Ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam, nunquam patiaris crimen ſcire. Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii apud te omnino non remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum eſurientibus, & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege. Conſilium ſemper a Sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.

Inculcare ſæpius ipſis debent, ut pravorum hominum ſocietates fugiant; invigilare ne ſocios frequentent pravæ indolis a quibus corrumpantur; Salomonis verbis ipſos admonere; Prov. 1. *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Fili mi, ne ambules cum eis, pedes enim eorum ad malum currunt.* Prov. 4. *Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec tranſeas per illam; declina, & deſere eam.* Et Ap. verbis 1. ad Cor. 15. *Nolite ſeduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Cavere præterea debent, & prohibere, ne pueri cum puellis ludant; *S. Hier.* ad *Gaudentium* ſcribentis prudens conſilium ſequitur. *Sexus fœmineus ſexui ſuo jungatur: neſciat puella, immo timeat cum pueris ludere*; Filiis in memoriam identidem revocare debent Pacta cum Deo in Baptiſmo inita, monere, & hortari, ut ea fideliter ſervent, ut tanquam a facie colubri peccatum fugiant, ut præter Dei amorem, & ſervitutem, cetera omnia vanitatem cenſeant. Hæc & ſimilia ſalutis monita filiis tradere debent Chriſtiani Parentes, Deumque ferventiſſimis precibus orare, ut hæc præveniente, & adjuvante ipſius gratia proſequantur, potiuſque illos ex hoc Mundo rapiat, quam lethali peccato a ſuo amore, & obſequio permittat averti.

Nulla re magis, quam optima, & ſancta educatione ſuum erga filios amorem teſtari parentes poſſunt.

Nulla re magis quam optima, & Chriſtiana educatione ſuum in filios amorem teſtari parentes poſſunt, ut docet *Salvianus* Maſſilienſis Presbyter Lib. 1. *Ad Eccleſiam Catholicam*, ſcribens, *Non ſolum*, inquit, *amandos dicimus filios, ſed præcipue ac ſuper omnia amandos: nec quidquam his omnino anteponendum, niſi Deum ſolum. Nam & hoc eſt præcipue amare illum, filiis anteponere, quem non expediat omnino poſtponere. Quid eſt ergo, aut quomodo amandos dicimus filios? Quo abſque dubio, niſi quo Deus ipſe conſtituit? Neque enim eſt ullus melior filiorum amor, quam quem ille docuit, qui ipſos filios dedit, neque poſſunt pignora melius amari, quam ſi in eo ipſo, a quo data ſunt, amentur. Quomodo igitur Deus amari filios juſſerit, non dico ego, dicat ſermo ipſe divinus... Pauca ſunt, quæ mandat, ſed ſalutaria, expedita, ſed ſancta, præcepto parva, ſed fructu grandia, ſcripto brevia, ſed beatitudine ſempiterna.* Parentes, (*inquit*) nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate il-

Epheſ. 6.

los in diſciplina, & correptione Domini, ut ponant *ſcilicet ſicut Propheta dixit*, in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur operum Dei ſui, & Mandata ejus exquirant. *En quales divitias Deus diligit, en quas pignoribus recondi exigit opes, en quas parari imperat facultates, fidem ſcilicet, ac timorem Dei, modeſtiam, ſanctimoniam, diſciplinam: non terrena, non vilia, non pereuntia, non caduca, præclaraque. Cum enim Deus vivorum ſit, non mortuorum, recte illa parari filiis juſſit, per quæ in æternum viverent, non per quæ in æternitate morerentur. Nemo enim dubitat, omnibus fere malis, & infidelibus divitias mundiales cauſſas mortis magis eſſe, quam vitæ, ſecundum illud, quod Deus dicit*: Quam

Matth. 19. Matth. 6.

difficile hi, qui pecunias habent, introibunt in Regnum cœlorum! *Unde & illud eſt, quod ſpecialiter jubet dicens.* Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo. *Superioribus, ac ſequentibus dictis duo theſaurorum genera monſtrantur; unum ſcilicet, quo filiis theſaurizent patres, aliud quo ſibi. Filiis quomodo? Ut erudiant illos officio, ac timore divino. Sibi quomodo? Ut theſaurizent ſibi theſauros in cœlo. Mirifice ſcilicet, ut quia pecunia caduca eſt, diſciplina immortalis, & omnes fere parentes plus ament filios, quam ſeipſos, ſibi conferant bona caduca, filiis ſempiterna, ac ſic & pietati ſuæ conſulant, & ſaluti cum duplici, atque immortali bono, & per ea, quæ æterna ſunt, æternos eſſe filios faciant, & ad comquirendam ſibi beatitudinem, ea quæ naturaliter caduca ſunt, bonis operibus in æterna convertant. Quid ergo æſtuas, paterna pietas? Quid ad conquirenda terrena, & peritura diſtenderis? Nihil majus præſtare filiis potes, quam ſi hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non neceſſe eſt ergo ut filio tuo terrenos theſauros recondas; nulla re eum facies ditiorem, quam ſi ipſum filium tuum theſaurum Dei feceris.*

Parentes filiis omnium virtutum exemplo debent prælucere.

Quia vero exempla longe movent efficacius, quam verba, filiis ſuis omnium virtutum exemplo prælucere debent Parentes Chriſtiani. *Sacerdos parentes commoneat* (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus) *ut ſe liberis magiſtros præbeant virtutis, æquitatis, modeſtiæ, & caſtitatis.* Hinc *S. Jo. Chryſoſt.* Homil. 5. in Epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes ait, Patrem familias magis prodeſſe poſſe uxori ſuæ, filiis, & ſervis exemplo ſuo, & Chriſtana, ſanctaque converſatione, quam Concionatores. Hos enim raro audiunt, & ſtatim ac pedem extulerunt e Templo, eorum, quæ audierunt in Concione, obliviſcuntur: parentum autem, & dominorum vitam, & exempla præ oculis ſemper habent filii, ac ſervi. *Licet ergo* (inquit S. Chryſoſtom.) *unicuique eſſe doctorem.* Et *S. Aug.* in Pſalm. 50. *Quomodo ad nos pertinet in Eccleſia loqui vobis, ſic ad vos pertinet in domibus veſtris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis ſunt ſubditi.* Hinc *S. Hieron.* Epiſt. 7. *Ad Lætam*, de inſtitutione filiæ ſcribit: *Nihil in te, & in patre ſuo videat, quod ſi fecerit, peccet. Mementote vos parentes Virginis, magis eam exemplo doceri poſſe, quam voce.* Huc pertinent Salviani verba, Lib. 7. *De Gubernatione Dei*, dicentis *In domo ſua Dominus quaſi corporis ſui captus eſt, & vita ejus cunctis norma vivendi. Peſſimumque hoc eſt in hoc negotio, quod libentius omnes deteriora ſectantur: & facilius mala inſtitutio depravat bonos, quam bona emendat malos.* Hinc eſt (inquit idem *Salvianus Lib.* 1. *ad Eccleſiam Catholicam*) quod *Pene omnes parentibus ſuis filii non magis in patrimonia, quam in vitia ſuccedunt, nec magis facultates paternas ſumunt, quam pravitates: ac ſi tranſeuntes ſemper in mores patrum, ante eorum incipiunt nequitiam, quam ſubſtantiam poſſidere. Bona enim parentum nonniſi mortuis eis poſſident: viventibus autem adhuc, & videntibus mores. Ac ſic prius, quam in dominio ſuo habere incipiant res paternas, habent in animis ipſos patres, & antequam habeant illa, quæ falſo dicuntur bona, habent illa, quæ vere probantur mala.* Longe igitur graviora ſunt peccata parentum, qui filios ſuos pravis exemplis, blaſphemiis, juramentis, verbis obſcœnis, ebrietate, libidine, inimicitiis, rixis, vindictis, ludis alearum, impietate, ac negligentia in frequentandis Sacramentis, in Feſtis ſanctificandis, in verbi divini auditione, in ſalutis negotio, quod *Unum eſt neceſſarium* agendo, duritie in pauperes, ad ſimilia vitia informant, & provocant, quam eorum, qui Patres-familias non ſunt, (ceteris paribus.) Unde infelices illi filii merito dixerint: *Perdidit nos aliena perfidia, parentes ſenſimus parricidas.* Ob hanc rationem Deus *Viſitat iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*, ut dicitur Exodi 20. & 24. ipſos puniens in filiis, quos pravis exemplis corruptos, ſuorum imitatores criminum reliquerunt, & vice verſa, peccata filiorum in parentibus puniuntur, cum negligenti educatione, aut exemplorum pravitate, ipſi ruinæ auctores extiterunt. 1. *Reg.* c. 12. 15. *Si non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaveritis ſermones ejus, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros.*

S. Cyprian. Lib. De Lapſis.

Filiorum correptio.

Quartum parentum in filios officium eſt eorum correptio, & caſtigatio ſtatim a pueritia, quæ prona ad malum eſt, &, niſi coerceatur, vitia concipit ad alias ætates tranſitura. Qua in re prudentia, & moderatione opus eſt, ut videlicet nec auſteriores, nec indulgentiores parentes ſint. Præpoſtera namque ſeveritate fit, ut pueri fracto, abjectoque animo ſint, dum omnia timent, quod ſummopere cavendum Apoſtolus docet ad *Epheſ.* 6. & ad *Coloſſ.* 3. parentibus præcipiens, ne quid acerbius in liberos loquantur, aut ſtatuant, quod ad iracundiam illi provocentur, ac in deſperationem quodam modo compellantur. *Et vos, Patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini... Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.* Sit igitur parentum imperium lenitate, ac manſuetudine temperatum. Non quaſi ſervulis, ſed quaſi filiis ſe præeſſe noverint: non iræ impetu, ſed caritatis impulſu peccantes corripiant, & emendent: Liberos corrigere malint, quam ulciſci: vel feras ipſas imitentur, quæ cum homines terreant, & in ſylvis fremant, ſævitiam omnem, ac feritatem deponunt in ſpeluncis, ubi filios ſuos alunt. Doceantur gravis peccati reos eſſe parentes, qui magis ira quam ratione in filios ſæviunt, & correctis etiam, veniamque petentibus placabiles præbere ſe nolunt.

Parentum imperium lenitate, ac manſuetudine temperandum.

Ve-

Diſſoluta indulgentia.

Verum non minus cavere debent parentes, ne quid liberis per indulgentiam diſſolute remittant, ſi quam culpam commiſerint, quæ objurgationem, & caſtigationem poſtulet. Sæpe enim filii nimia lenitate, & facilitate parentum depravantur. Quamobrem Scriptura Sacra parentes a diſſoluta illa indulgentia deterret, quæ ſegnes, pravoſque liberos facit. *Prov.* 13. c. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Et c. 23. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Et *Eccleſiaſtici* c. 7. *Filii tibi ſunt? Erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Filiæ tibi ſunt? Serva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Et c. 30. *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, ut lætetur in noviſſimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia...*

2. Reg. 4.

Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadet præceps. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contriſtabit te. Nam corrideas illi: ne doleas, & in noviſſimo obſtupeſcant dentes tui. Non des illi poteſtatem in juventute, & tunde latera ejus, dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi; & erit tibi dolor animæ. Negligentiam paternæ in filios diſciplinæ graviſſimo ſupplicio ultus eſt Deus in *Heli* ſummo Sacerdote, qui *de ſella* cadens retrorſum, *fractis cervicibus mortuus eſt*, duoque ejus filii occiſi, Iſraelitæ a Philiſtæis profligati, Arca Domini capta, tranſlatum ab ejus familia Summum Sacerdotium, multæque calamitates poſteris ejus illatæ, ut Dominus per *Samuelem* pronuntiaverat 1. *Regum* c. 2. & 3. *Suſcitabo*, inquit, *adverſum Heli omnia, quæ locutus ſum ſuper domum ejus, incipiam, & complebo: Prædixi enim ei, quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus uſque in æternum.* Filios tamen ſuos verbis corripuerat, cum eorum ſacrilegia, & ſtupra audiviſſet:

1. Reg. 2.

Quare, inquit, *facitis res hujuſmodi, quas ego audio, res peſſimas, ab omni Populo? Nolite, filii mei, non enim eſt bona fama, quam ego audio, ut tranſgredi faciatis Populum Domini. Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Verum non verbis tantum cum illis agendum erat. cum graviſſima crimina perpetrarent in Templo Dei cum totius Populi ſcandalo: amovendi enim erant ab officio Sacerdotali, quod indigne adminiſtrabant. Quod quia non præſtitit *Heli*, filiorum honori magis conſulens quam Dei, maximo ſupplicio eſt affectus. *Heli corripuit filios, & punitus eſt, quia non corripere, ſed ſubjicere debuit*; (inquit *S. Hieronym.* Lib. 1. Contra Pelagianos.)

Chriſtiana filiorum educatio.

Præclara ſunt quæ iſto de argumento *S. J. Chryſoſtomus* habet Hom. 9. in Ep. 1. ad Timotheum. *Heli*, inquit, *propter filios periit: Illos quippe cum acrius coercere debuiſſet, verbis tandem lenibus monuit. Quapropter dum illis moleſtus eſſe ſevera increpatione recuſat, illos, & ſeipſum una perdidit. Audite hæc, patres, veſtroſque filios in diſciplina, & correptione Domini erudite ſumma cum diligentia. Eſt enim Juventus fera, plurimiſque indiget inſtitutoribus, & magiſtris. Si igitur illis ab ipſis ſtatim initiis, atque a prima ætate leges optimas imponamus, minimum poſthac laboravimus, verum conſuetudo ipſa virtutis in legem tranſibit. Nihil eos agere permittamus ex his, quæ noxie jucunda ſunt, neque illis ut pueris indulgeamus: atque ante omnia illos in pudore, & ſobrietate ſervemus: quippe huic inimica libido omnium maxime hujuſmodi perturbat ætatem. Ad hoc igitur vitium compeſcendum, magnis nobis ſudoribus, magnaque attentione opus eſt: mature illos Matrimonio jungamus, ut munda, atque integra illorum corpora Sponſæ admoveantur... Admoneamus igitur illos, corripiamus, terreamus, minaſque intentemus, & modo iſtud, modo illud faciamus. Magnum habemus pretioſumque depoſitum filios, ingenti illus ſervemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis aſtutus auferat. At vero nunc contra penitus facimus. Nam ut fundus quidem ſit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum ſtudio tradimus, procuratoremque, ac diſpenſatorem, qui a nobis magna benevolentia afficiatur, inquirimus: ceterum, quod nobis cariſſimum omnium eſt, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium noſtrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipſius tueri, ac ſervare pudicitiam poſſit. Et certe nulla poſſeſſio, nullus fundus æque nobis gratus, atque carus eſſe debet quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis poſſeſſionum cura eſt, quam eorum, quorum illa gratia comparantur: quod profecto abſurdiſſimum, atque ſtolidiſſimum eſt. Exerceamus igitur ad virtutem, atque pietatem molles filiorum animos, cetera omnia ſecundo loco quæramus. Nam ſi quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: ſin autem probi, nihil ex paupertate lædentur ..... Filiis non rite inſtitutis præſtat pauperes eſſe, quam divites. Paupertas enim, vel invitos coercet, atque intra virtutis limites continet, opes vero ne volentes quidem pudice, temperanterque vivere ſinunt; verum exorbitare faciunt, atque pervertunt, maliſque innumeris ſubjugant. Matres item filiarum vobis curam aſſumite: eſt ea cura vobis perfacilis: Curate ſollicite, ut domi jugiter ſint. Ante omnia pias eſſe, religioſaſque docete, aſpernari pecunias, exterioriſque ornatus contemptrices eſſe: atque ita demum Nuptiis tradite. Eas ſi ita inſtitueritis, non ipſas modo ſervabitis, verum & viros, qui illas ducturi ſunt, neque viros tantum, ſed etiam filios atque nepotes. Quippe ex radice optima ſurculi prodeunt firmiores, ac ſemper in meliora proficiunt, horumque omnium merces vobis reddenda eſt.*

Chriſtiana filiorum educatio.

Legenda eiuſdem Patris Hom. 21. in Epiſtolam ad Epheſios, & Libri 3. *adverſus Vituperatores Vitæ Monaſticæ* c. 3. 4. 6. & 18. *Job ſanctiſſimum virum*, inquit, *cum ex virtutibus reliquis Scriptura collaudet, quod fuerit juſtus, quod verax, quod religioſus, quod pius, tum ex eo maxime, quod filiorum optime educandorum habuerit ſummam diligentiam. Non enim ea cura utebatur, ut aurum illis copioſiſſimum acquireret, non ut humana gloria verendos, & illuſtres cerneret: ſed quid ille tandem requirebat? Audi, quid Scriptura dicat*: Cum conſummati eſſent dies convivii illorum, mittebat Job, & purificabat eos, conſurgenſque diluculo offerebat pro eis Sacrificia ad numerum ipſorum, vitulumque unum pro peccatis pro animabus eorum. Dicebat enim Job in corde ſuo: Ne forte filii mei in mente ſua mala cogitaverint adverſus Deum. *Ullane jam nobis erit excuſatio ejuſmodi ſcelus admittere audentibus, quando is, qui ante Gratiam, ante Legem fuit, qui nullo Sacrarum Litterarum Magiſterio inſtructus erat, tantam filiorum oſtendit, geſſitque providentiam, ut de incertis quoque eorum, & occultis tremeret, paveretque delictis? Quanam nos jam excuſabit ratio, qui cum ſimus ſub gratia, cum tantis, & tam inſignibus magiſtris potiamur, cum ejuſmodi exemplis abundemus, totque monitis erudiamur, non modo pro occultis, incertiſque filiorum peccatis non metuimus, verum aperta quoque, & manifeſta contemnimus? Nec iſta ſaltem pernicie contenti, ſi qui eos emendare voluerint, eos undique rejicimus, exagitamus, affligimus. Abraham quoque cum cetera recte facta commendant, tum iſtud quoque clariſſimum facit. Igitur cum tanta ſummorum virorum teneamus exempla, paremus Deo miniſtros idoneos, & probatiſſimos famulos. Nam ſi is, qui vel Athletas Civitatibus nutrit, vel exercet ad Regis obſequium Milites, maximis honoribus fruitur: quanta nos munera, quot coronas accepturi ſumus, qui tam magnos, & eximios viros, dicam verius, Angelos, Deo educamus? Omnia igitur faciamus, cunctaque moliamur, ut eis inſignes pietatis opes relinquamus, quæ ſolæ permanent nobiſcum, excedenteſque e vita comitantur.*

Job 1.

Chriſtiana filiorum educatio.

Et rurſus Lib. 3. Adverſus Vituperatores Vitæ Monaſticæ. *Unde*, inquit, *acerbæ, & intempeſtivæ mortes? Unde morbi perpetui, atque graviſſimi plerunque nobis, & liberis noſtris? Unde caſus varios, calumnias, mala innumera quotidie perpetimur? Nonne quod filios noſtros malos aſpicimus, & eos emendare negligimus?*

Pietatem denique poſtulare, ut parentes filios quandoque ſervare increpent, & caſtigent, docet Auctor Serm. 44. inter eos, qui hactenus *S. Amb.* ſunt adſcripti, & in Editione noviſſima in Appendicem rejecti. *Non oſculatur*, inquit, *ſemper pater filium, ſed & aliquando caſtigat. Ergo quando caſtigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas ſuas, quæ dulciores ſunt, cum amarius inferuntur: dulcior enim eſt religioſa caſtigatio, quam blanda remiſſio. Unde ait Propheta* Dulciora

Prov. 27. 6

ſunt vulnera amici, quam voluntaria oſcula inimici. Refertur Canone. *Non oſculatur.* cauſſa 5. q. 5.

Idem docet *S. Aug.* Ser. 13. alias *De Tempore* 94. *Adhibeantur pœnæ*, inquit, *non recuſo, non interdico, ſed animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis. Non enim filium tuum erudis, Et prius agis, ut, ſi fieri poteſt, pudore, & liberalitate erudiatur, erubeſcat patrem offendere, non tanquam ſeverum judicem timeat: gaudes ad talem filium: ſed ſi fueris forte iſta contemnens, adhibes & verbera, incutis pœnam, ingeris dolorem, ſed quæris ſalutem. Multi amore, multi timore correcti ſunt: ſed per tremorem timoris ad amorem pervenerunt. Non ſic quæritur innocentia, ut pereat diſciplina. Scriptum eſt*, Diſciplinam qui abjicit infelix eſt. *Bene poteſt addi ad iſtam ſententiam. Sicut diſciplinam qui abjicit, infelix eſt, ſic diſciplinam qui negat, crudelis eſt... Teneo prorſus, & oſtendo feriendo pium, parcendo crudelem, exemplum ante oculos pono. Ubi invenio pium? Non eo ad alios, ad patrem & filium eo: pater & quando ferit, amat, & non vult puer cadi; contemnit voluntatem, conſulit ad utilitatem. Quare? Quia pater eſt, quia hæreditatem parat, quia ſucceſſorem nutrit. Ecce feriendo pius eſt pater, feriendo miſericors eſt. Da mihi hominem parcendo crudelem. Non recedo a perſonis, eos ipſos ante oculos pono. Sed puer impunitus, & indiſciplinatus ſi ſic vivat, ut pereat, & pater diſſimulet, pater pereat, pater perditum filium diſciplinæ aſperitate offendere timeat, nonne percendo crudelis eſt?*

Sap. 3. 2.

Et Enarratione in Pſ. 50. *Veruntamen* (inquit) *in tanta morum diverſitate, & tam deteſtabili corruptela, regite domos veſtras, regite filios veſtros, regite familias veſtras. Quomodo ad nos pertinet in Eccleſia loqui vobis, ſic ad vos pertinet in domibus veſtris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis ſunt ſubditi. Amat Deus diſciplinam. Perverſa autem, & falſa innocentia eſt, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valde pernicioſe ſentit filius patris lenitatem, ut poſtea Dei ſentiat ſeveritatem: & hoc non ſolus, ſed cum*

diſ-

diſſoluto patre ſuo. Quid enim ſi ipſe non peccat, & non facit, quod filius ejus, ideo non debet ab ipſa nequitia filium prohibere? An forte ut videatur filio ejus, quia & pater talia faceret, niſi ſenuiſſet? Peccatum quod tibi non diſplicet in filio tuo, delectat te, ſed ætas deſeruit, non cupiditas. Sed forte negligit malus filius vel monita patris, vel objurgationem, vel ſeveritatem: Tu imple perſonam tuam, Deus de illo exigit ſuam.

Idem docet *S. Bernardus* Serm. 10. in pſalmum, *Qui habitat*, dicens: *Ne ipſi quidem filio expedit ſic amari, ut videlicet cui interim caves a flagello paternæ correptionis, theſaurizes iram æternæ damnationis.*

§. II. *Paſtorum erga Oves Officia.*

Triplex paſcendi modus.

PAſtorum officium eſt oves paſcere; unde S. Petro dictum eſt Jo. 21. *Simon Joannis amas me? Paſce oves meas.* Idemque tertio repetitum, ut triplex paſcendi modus ſignificetur. Debent namque Paſtores gregem *Paſcere exemplo converſationis, verbo prædicationis, fructu orationis*; ut ait *S. Bernardus*, Tractatu in Evangelium, *Ecce nos reliquimus omnia*, ſeu Libro *De Colloquio Simonis ad Jeſum*, §. 11.

1. Paſtores paſcere debent oves exemplo converſationis.

Primo, paſcere debent *exemplo converſationis*, Chriſtum Jeſum imitati, qui *Cœpit facere, & docere*: & qui magnum illum in Regno cœlorum futurum dixit: *Qui fecerit, & docuerit*. Unde Apoſtolus *Timotheum* ſuum erudiens: *Exemplum* (inquit) *eſto fidelium in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate.* Et de piis Veteris Teſtamenti Levitis Dominus ait Malach. 2. *Pactum meum fuit cum Levi vitæ, & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus. In pace & æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate:* Paſtores mali, quantum in ipſis eſt, oves male vivendo, & malum exemplum præbendo occidunt. Unde non fruſtra ad *Titum* ſcribit Apoſtolus, *Circa omnes te ipſum bonorum præbe exemplum.* Attendit enim ovis etiam fortis plerunque Præpoſitum ſuum male viventem: ſi declinet oculos a Regulis Domini, & intendat in hominem, incipit dicere in corde ſuo; Si Præpoſitus meus ſic vivit, ego qui ſum, qui non faciam, quod ille faciat? *Occidit ovem fortem. Si fortem ergo occidit ovem, jam de ceteris quid faciat illud, quod non ipſe fortificaverat, ſed forte, aut robuſtum invenerat, male vivendo interfecit! Dico Caritati veſtræ, iterum dico, Etſi vivunt oves, etſi fortes ſunt oves in verbo Domini, & tenent illud, quod audierunt a Domino ſuo,* Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite; *Tamen, qui in conſpectu Populi male vivit, quantum in illo eſt, eum, a quo attenditur, occidit. Non ſibi ergo blandiatur, quia ille non eſt mortuus. Et ille vivit, & ille homicida eſt. Quomodo cum laſcivus homo intendit in mulierem ad concupiſcendum eam, ecce illa caſta eſt, & mœchus eſt iſte: Domini enim vera, & aperta ſententia eſt;* Quiſquis viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo; *Sic omnis, qui male vivit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, occidit & fortes oves. Qui ergo imitatur Præpoſitum malum, moritur; qui non imitatur, vivit; tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit.* Et, *quod craſſum eſt*, inquit, *interficitis, & oves meas non paſcitis.* Hæc *S. Aug.* Ser. 46. alias De Temp. 165. *De Paſtoribus* inſcripto.

Act. 1.
1. ad Tim. 4. 12.
Tit. 27.
Matth. 22.
Matth. 5.
Ezech. 34.

Idem confirmat *S. Gr. Magnus*, p. 2. *Paſtoralis Curæ*, c. 1. *Tantum*, inquit, *debet actionem Populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet a grege vita Paſtoris. Oportet namque, ut metiri ſollicite ſtudeat, quanta tenendæ rectitudinis neceſſitate conſtringitur, ſub cujus æſtimatione populus grex vocatur. Sit ergo neceſſe eſt cogitatione mundus, actione præcipuus, diſcretus in ſilentio, utilis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, bene agentibus per humilitatem ſocius: contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum ſollicitudine non relinquens.*

Et c. 3. *Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam ſubditis vivendo denuntiet, & grex, qui Paſtoris vocem moreſque ſequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur. Qui enim loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicenti vita commendat: quia quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat, ut fiat. Hinc enim per Prophetam dicitur:* Super montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion. *Ut videlicet, qui cœleſti prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videatur. Tantoque facilius ſubditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de ſupernis clamat.* Et p. 3. Admonitione 5. *Scire Prælati debent, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Unde neceſſe eſt, ut tanto ſe cautius a culpa cuſtodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non ſoli moriuntur.*

Iſaiæ 40.

Ezech. 33.

Secundo, gregem Chriſti paſcere debent Paſtores *Verbo Prædicationis*. Hinc Dominus *Ezechielem* Prophetam his verbis compellat: *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domus Iſrael, audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante ad impium ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua; ipſe in iniquitate ſua morietur: porro tu animam tuam liberaſti.* Hæc vero etiam de Paſtoribus Novi Teſtamenti intelligi debere, docet Apoſtolus, cum eorum officium explicans, Epiſt. ad *Hebræos*, c. 13. ait: *Ipſi pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Gravis igitur peccati rei ſunt Paſtores, qui populo Chriſtiano ſibi commiſſo verbum Dei non prædicant ex inertia, ignorantia, vel nimia ad res temporales adhæſione. Quibus convenit illud Iſaiæ 46. *Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia... Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam, a ſummo uſque ad noviſſimum.* Et rurſus Ez. 34. *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis; Gregem autem meum non paſcebatis, quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri... Propterea Paſtores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant amplius Paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam.* Quiſquis ita Præpoſitus eſt, ut in eo, quod Præpoſitus eſt, gaudeat, & honorem ſuum quærat, & commoda ſua ſola reſpiciat, ſe paſcit, non oves. *Qui præbet lac, victum præbet, qui præbet lanam, honorem præbet* (inquit *S. Auguſt.* Serm. 46. *De Paſtoribus*, cap. 3. *Iſta ſunt duo, quæ a populis quærunt, qui ſe ipſos paſcunt, non oves, commodum ſupplendæ neceſſitatis, & favorem honoris, & laudis. Etenim veſtimentum propterea bene intelligitur in honore, quia nuditatem contegit; eſt enim unuſquiſque homo infirmus. Et quid eſt quiſquis vobis præeſt, niſi quod vos eſtis? Carnem portat, mortalis eſt, manducat, dormit, ſurgit, natus eſt, moriturus eſt. Si ergo cogitas, quid ſit ſecundum ſe ipſum, homo eſt, tu tamen honorando eum velut Angelum, contegis, quod infirmum eſt.* Hæc ab ovibus cum accipiunt Paſtores, & tamen oves negligunt, quærentes, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, ovium languidarum, ac putridarum vulnera non ſecant, parcunt putredini, inimici multitudini fieri timent vitia palam arguendo, & Diſciplinæ Chriſtianæ ſeveritate coercendo, ſunt Paſtores ſemetipſos paſcentes, non oves. Illi porro, quod infirmum eſt, non conſolidant, qui ad ferendas tentationes, & adverſa quæque toleranda Chriſtianam Plebem diſponere, & confirmare non curant. *Infirmum animum gerit ovis*, (inquit *S. Aug.* Serm. 44. *De Paſtoribus*, cap. 5.) *quando tentationes ſibi futuras non credit. Paſtor negligens, quando ſic credit talis infirmus, non illi dicit*, Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *Qui enim hoc loquitur, confortat infirmum, & ex infirmo facit firmum, ut non ille, cum crediderit, proſpera hujus ſæculi ſperet. Si autem doctus fuerit ſperare proſpera hujus ſæculi, ipſa proſperitate corrumpitur; ſupervenientibus enim adverſitatibus ſauciatur, aut fortaſſis extinguitur... Sed ne in futuris tentationibus deficiat infirmus, nec falſa ſpe decipiendus eſt, nec terrore frangendus. Dic ei*, Præpara animam tuam ad tentationem. *Sed forte incipit labi, contremiſcere, nolle accedere. Habes aliud*; Fidelis Deus, qui non vos ſinat tentari ſupra quam ferre poteſtis. *Illud autem promittere, & prædicare futuras paſſiones, infirmum confirmare eſt. Timenti autem nimium, & ex hoc deterrito, cum polliceris miſericordiam Dei, non quia tentationes deerunt, ſed quia non permittit tentari ſupra quam ferri poteſt, fractum colligare eſt.*

Paſtores gregem ſibi commiſſum paſcere debent verbo prædicationis.

Eccl. 21.

1. Cor. 10.

Quod ægrotum eſt non ſanant mali Paſtores, quia animabus cupiditatum ſuarum morbis languentibus pharmaca ſaluberrima ex Scripturis Sacris non applicant. Inter infirmos, & ægrotos, quid diſcriminis intercedat. *S. Auguſt.* cap. 6. ejuſdem Sermonis exponit. *Infirmo*, inquit, *ne accidat tentatio, & eum frangat, timendum eſt, languens autem jam cupiditate aliqua ægrotat, & cupiditate, aliqua impeditur ab intranda via Dei, a ſubeundo jugo Chriſti. Attendite illos homines volentes bene vivere, & minus idoneos mala pati, ſicut parati ſunt bona facere. Pertinet autem ad Chriſtianam firmitatem, non ſolum operari, quæ bona ſunt, ſed & tolerare, quæ mala ſunt. Qui ergo videntur fervere in operibus bonis, ſed imminentes paſſiones tollerare nolle, aut non poſſe, infirmi ſunt. Qui vero aliqua cupiditate mala amatores Mundi ab ipſis bonis operibus revocantur, languidi, & ægroti jacent, quippe qui ipſos languore tanquam ſine ullis viribus nihil boni poſſunt operari. Talis in anima Paralyticus ille fuit, quem cum ad Dominum inferre non poſſent, qui eum portabant, tectum aperuerunt,*

Marci 2. 3.

runt, & depoſuerunt, id eſt, tanquam ſi in anima hoc velis facere, ut lectum aperias, & deponas ad Dominum Animam paralyticam diſſolutam omnibus membris, & vacantem ab omni opere bono, gravatam utique peccatis ſuis, & languentem morbo cupiditatis ſuæ. Si ergo diſſoluta ſunt membra omnia, & eſt paralyſis interior, ut pervenias ad Medicum, (forte enim latet Medicus, & intus eſt, hoc eſt, iſte verus intellectus in Scripturis occultus) exponendo, quod occultum eſt, aperi tectum, & depone Paralyticum. Quod qui non faciunt, & qui facere negligunt, audiſtis, quæ audiant; Quod *male habuit, non corroboraſtis, & quod contribulatum eſt, non colligaſtis.*

Paſtores animarum vulnera curare debent ſecundum ſpiritualis medicinæ Regulas a Chriſto inſtitutas.

Quod ægrotum eſt curare debent Paſtores, non ſolum Verbi divini Prædicatione, ſed Sacramentorum Adminiſtratione, ad quam paratos ſemper ipſos eſſe, ob idque in Diœceſibus, vel Parochiis ſuis reſidere oportet. Curare autem debent Animarum vulnera ſecundum ſpiritualis Medicinæ Regulas a Chriſto, & Apoſtolis, a SS. Patribus, a Conciliis, & Summis Pontificibus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ arbitris, conſtitutas: ſicut Medici illi cenſentur optimi, qui morbos corporis curant ſecundum Regulas Artis. Ut enim ſcite ait S. Greg. Naz. *Divinæ Animarum Medicinæ nos Miniſtri, & Adjutores ſumus, quicunque aliis præſidemus.* Utrunque autem conjungere debent, Verbi ſcilicet divini prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem, ut miniſterium ſuum impleant, & animas ægrotas, atque vulneratas curent. Scriptum eſt enim Pſ. 106. *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.*

Quod abjectum eſt reducere, & quod perierat, quærere Paſtores tenentur, quia & Hæreticos a via veritatis, & peccatores quoſcunque a via juſtitiæ errantes, ſatagere modis omnibus debent, ut ad Fidem Catholicam, vel ad meliorem frugem reducant, prædicatione, familiari inſtructione, & adhortatione, obſecrationibus, increpationibus, cenſuris, doctrina, patientia. Unde Apoſtolus Paſtores omnes in *Timotheo* ſuo informans: *Teſtificor*, inquit, *coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos, per Adventum ipſius, & Regnum ejus: Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, Miniſterium tuum imple.* Et ad Titum 1. neceſſarias inter Epiſcopi dotes, vult eſſe *Amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Et ad Tim. 4. *Attende*, inquit, *lectioni, exhortationi, & doctrinæ... Inſta in illis. Hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt.* Et Ep. 2. c. 2. *Sollicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Et c. 3. gratulatur, quod ab infantia Sacras Litteras noverit, quia *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia.* Hæc ſcilicet Paſtorum officia, propter quæ Sacræ Scripturæ ſcientia inſtructi eſſe debent, Populum Chriſtianum ſibi commiſſum a Chriſto Summo Paſtore, cujus grex eſt, & oves docere, arguere, corripere, erudire in juſtitia, *Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Unde & ipſe Apoſtolus impoſitum ſibi officium, ac miniſterium conſiderans 1. ad Cor. 5. *Si evangelizavero*, inquit, *non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero.* Alias enim ſe reum perditionis omnium animarum futurum noverat, quibus Evangelium prædicare neglexiſſet. Unde Act. 20. ait: *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.*

1. Tim. 4.

Id confirmat *S. Greg.* Hom. 11. in Ezechielem. *Impio*, inquit, *mors debetur; ſed ei a ſpeculatore via vitæ nuntianda eſt, & ejus impietas increpanda. Si vero ſpeculator taceat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: quia impietatis ejus meritum fuit, ut dignus non eſſet, ad quem ſpeculatoris ſermo fieret. Sed ſanguinem ejus Dominus de manu ſpeculatoris requirit, quia ipſe hunc occidit, qui eum tacendo morti prodidit. In quibus utrique penſandum eſt, quando ſibi connexa ſunt peccata ſubditorum, atque Præpoſitorum, quia ubi ſubjectus ex ſua culpa moritur, ibi is, qui præeſt, quoniam tacuit, reus mortis tenetur.... O quam liber a commiſſorum ſibi ſanguine fuerat Prædicator egregius, qui dicebat:* Mundus ſum a ſanguine omnium: non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis. *Si enim non annuntiaſſet, mundus a ſanguine non eſſet. Sed quibus omne conſilium Dei annuntiare ſtuduit, ab eorum ſanguine mundus fuit. In qua voce nos convenimur, nos conſtringimur, nos rei eſſe oſtendimur, qui Sacerdotes vocamur, qui ſuper ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus... Sanguis ergo morientis de manu ſpeculatoris requiritur, quia peccatum ſubditi culpa Præpoſiti, ſi tacuerit, reputatur. Eſt ergo, quod faciat, ut etiam moriente ſubdito ſe liberum reddat. Surgat, invigilet, malis actibus contradicat, ſicut ſcriptum eſt;* Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. *Unde hic quoque additur:* Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate ſua, & a via ſua impia: ipſe quidem in impietate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti. *Tunc enim ſubjectus moritur ſine te, quando in cauſſa mortis contradictorem pertulerit te. Nam morti, cui non contradicis, adjungeris.* Et infra: *Quia juſto, qui in peccato cecidit, Prædicator tacuit, ejus ſanguinis reus tenetur. Et qui ſollicitus eſſe non ſtuduit in prædicatione, factus eſt particeps in condemnatione.*

Act. 20.
Prov. 6.
Ezech. 33.

Neque vero a quærendis ovibus errantibus deterreri Paſtores debent, quod errores illæ ſuos ament, & vitia, Paſtorumque diligentiæ, & caritati reluctentur, ac eorum vocem ægre, & impatienter audiant. Jubet enim Deus, ut nihilominus verbum ſuum prædicent, inſtent opportune, importune, ut Apoſtolus loquitur. Qua de re præclare *S. Aug.* Ser. 46. *De Paſtoribus*, c. 7. *Et contumaces ſunt oves: quia quæruntur errantes, alienaſe a nobis dicunt errore ſuo, & perditione ſua. Quid nos vultis? Quid nos quæritis? Quaſi non ipſa cauſſa ſit, quare eas velimus, & quare quærimus, quia errant, & pereunt. Si in errore*, inquit, *ſum, ſi in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, revocare volo: quia periiſti, invenire volo. Sic volo errare, ſic volo perire. Sic vis errare, ſic vis perire? Quanto melius ego nolo? Prorſus audeo dicere, importunus ſum. Audio enim dicentem Apoſtolum:* Prædica verbum, inſta opportune, importune. *Opportune utique volentibus, importune nolentibus. Tu vis errare, tu vis perire; ego nolo. Non vult poſtremo ille, qui me terret. Si voluero, vide, quid dicat, vide quid increpet.* Quod errabat non revocaſtis, & quod periit, non inquiſiſtis. *Revocabo errantem, requiram perditum: velis, nolis, id agam. Et ſi me inquirentem lanient vepres ſylvarum, per omnia anguſta me coarctabo; omnes ſepes excutiam, quantum mihi virium terrens Dominus donat, omnia peragrabo: revocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire.*

1. Tim. 4.

Paſtores ad verbum Dei Populo ſibi commiſſo prædicandum tenentur, niſi ſint legitima impediti.

Verbi divini Populo ſibi commiſſo prædicandi officium Paſtoribus incumbere, ita ut lethalis peccati rei ſint, ſi legitimo impedimento non detenti id omittant, Sacra Concilia confirmant.

Arelatenſe 6. ann. 813. can. 10. *Providimus*, inquit, *pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro utilitate totius populi, ut non ſolum in civitatibus, ſed etiam in omnibus Parochiis Presbyteri ad Populum verbum faciant, & ut bene vivere ſtudeant, & Populo ſibi commiſſo prædicare non negligant.*

Valentinum III. ann. 855. can. 16. *Unuſquiſque noſtrum* (inquiunt Epiſcopi) *ſive per ſe, ſive per aliquem, vel aliquos ex Miniſtris Eccleſiæ fideliter doctos ita verbum prædicationis tam in urbe, quam foris in plebibus exhibeat, ut omnino eis admonitio, & exhortatio ſalutaris deeſſe non poſſit; quia ubi verbum Dei fidelibus non miniſtratur, quid aliud, quam vita animæ ſubtrahitur?*

Lemovicenſe 2. anno 1304. Act. 2. *Omnis*, inquit, *Sacerdotes, quibus Parochia commiſſa eſt, omnibus Dominicis, & Feſtis diebus admonere prædicando Populum debent, ſecundum illud.* Argue, obſecra, increpa: *Quia Sacerdos ſi ſine ſonitu prædicationis incedit, interminatione divina mortis reus eſt. Epiſcopus autem, quos doctos viderit ad hoc officium, & idoneos, non tantum juſſu, ſed etiam rogatu, ad tam ſublime opus incitare debet.*

Conc. denique Tr. ſeſſ. 5. *De Ref.* c. 2. *Quia*, inquit, *Chriſtianæ Reipublicæ non minus neceſſaria eſt Prædicatio Evangelii, quam lectio, & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum Munus, ſtatuit, & decrevit S. Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum JeſuChriſti Evangelium. Si vero contigerit, Epiſcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam Generalis Concilii viros idoneos aſſumere teneantur ad hujuſmodi Prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicunque Parochiales, vel alias Curam Animarum habentes Eccleſias quocunque modo obtineant per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſollemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandaque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadant, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Id vero ſi quis eorum præſtare negligat, etiamſi ab Epiſcopi Juriſdictione exemptum ſe eſſe prætenderet: etiamſi Eccleſiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monaſterio, etiam extra Diœceſim exiſtenti forſan annexæ, vel unitæ, modo re ipſa in Diœceſi ſint, provida Paſtoralis Epiſcoporum ſollicitudo non deſit, ne illud impleatur:* Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. *Itaque, ubi ab Epiſcopo moniti trium menſium ſpatio Muneri ſuo defuerint, per Cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias, ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam ſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec Principalis in ſe reſipiſcens officium ſuum impleat.* Sed & Catecheſes, ſaltem Dominicis, aliiſque Feſtis diebus in ſingulis Parochialibus Eccleſiis haberi ſanxit ac præcepit eadem S. Synodus.

Cap. Inter cetera Extra de Officio Judic. Ord.

Lament. Jerem. 4.

Diœceſis viſitatio non minima pars curæ Paſtoralis.

Paſtoralis Curæ non minima pars eſt Sacra Diœceſum Viſitatio, quam Epiſcopi obire debent, per ſe, vel per

alium, ſi legitime fuerint impediti, ita ut totam biennio ſaltem quodlibet Diœceſim ſuam luſtrent, ut ſtatuit S. Synodus Trid. ſeſſ. 24. *de Reformat.* c. 3. Harum porro Viſitationum ſcopus eſt, *Sanam, orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere, cetera, prout locus, tempus, & occaſio feret, ex Viſitantium prudentia, ad fidelium fructum conſtituere. Quæ ut facilius, feliciuſque ſuccedant* (inquit Concilium) *monentur prædicti omnes, & ſinguli, ad quos Viſitatio ſpectat, ut paterna caritate, Chriſtianoque zelo omnes amplectantur, ideoque modeſto contenti equitatu famulatuque, ſtudeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, Viſitationem ipſam abſolvere, interimque caveant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves, oneroſive ſint.*

Paſtores gregem paſcere debent fructu orationis.

4. Tandem cum nec Viſitatio, nec Prædicatio fructuoſe eſſe poſſint abſque Dei gratia: quia *Neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus*: Sacrificiis, & aſſiduis orationibus Deum interpellare debent Paſtores pro grege ſibi commiſſo, & oves *Paſcere fructu orationis*, ut loquitur *S. Bernardus*. Unde Apoſtoli Act. 6. ajunt: *Nos orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus*. Et S. Paulus ad Hebræos, cap. 5. *Omnis Pontifex*, inquit, *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis*. Paſtor itaque orando pro ſe, ac pro ovibus, *ſit orator antequam doctor: & priuſquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam ſitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat*; (inquit *S. Aug.* Lib. 4. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 15.)

§. III. *Principum, & Magiſtratuum Officia.*

1. OFficium Principum eſt, pietate, ac Dei cultu ſubditis prælucere, Eccleſiam tueri, Populum cum æquitate, & juſtitia regere, ac defendere.

Principes vitam ſuam in primis ad Dei legem conformare debent.

Ad Dei legem in primis vitam ſuam conformare debent. Unde Deut. 17. ſcriptum eſt: *Poſtquam ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in Lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filii ejus*. Et Pſ. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta*. Ex Dei cultu, ex vera pietate, ex Chriſtianarum, & Regiarum Virtutum operibus, non ex diuturnitate imperii, non ex victoriis, & hoſtium debellatione, non ex temporali proſperitate, æſtimanda eſt Regum, ac Principum felicitas, ut docet *S. Aug.* Lib. 5. De Civitate Dei, c. 24. *Neque enim*, inquit, *nos Chriſtianos Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adverſus ſe inſurgentes & cavere, & opprimere potuerunt. Hæc, & alia vitæ hujus ærumnoſæ, vel munera, vel ſolatia, quidam etiam cultores Dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad Regnum Dei, quo pertinent iſti: & hoc ipſius miſericordia factum eſt, ne ab eo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed felices eos dicimus, ſi juſte imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt, ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum, Majeſtati ejus famulam faciunt, ſi Deum timent, diligunt, ſi plus amant illud Regnum, ubi non timent habere conſortes, ſi tardius vindicant, facile ignoſcunt, ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ, tuendæque Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt, ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent, ſi quod aſpere coguntur plerumque decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant, ſi luxuria tanto eis eſt caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior, ſi malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet Gentibus imperare: & ſi hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter caritatem felicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices interim ſpe, poſtea re ipſa futuros, cum id, quod expectamus, advenerit.*

Quibus ex rebus æſtimanda felicitas Principum.

Idem confirmat *S. Fulgentius*, L. *De Veritate Prædeſtinationis, & Gratiæ*, cujus verba refert Conc. Pariſienſe 6. p. 2. c. 2. *Clementiſſimus Imperator* (inquit) *non ideo eſt vas miſericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni Principatus accepit, ſed ſi in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus culmen Regiæ Dignitatis ſanctæ Religioni ſubjiciat: ſi magis in timore ſervire Deo, quam in tumore dominari Populo delectetur: ſi in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas poteſtatem: ſi ſe magis diligendum quam metuendum cunctis exhibeat: ſi ſubjectis ſalubriter conſulat, ſi juſtitiam ſic teneat, ut miſericordiam non relinquat: ſi præ omnibus ita ſe Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus paci, atque tranquillitati per univerſum Mundum prodeſſe ſuum faciat Principatum. Magis enim Chriſtianum regitur, atque propagatur Imperium, dum Eccleſiaſtico Statui per omnem terram conſulitur, quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur.*

Regum officium, Leges ferre in bonum Religionis & Eccleſiæ.

Officium præterea Regum eſt, Leges ferre in bonum Religionis: & Eccleſiæ. *In hoc enim Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ ad divinam Religionem*; (inquit *S. Aug.* L. 3. *Contra Creſconium* c. 51.) Quomodo enim Reges Domino ſerviunt in timore, niſi ea, quæ contra juſſa Domini fiunt, religioſa ſeveritate prohibendo, atque plectendo; (inquit idem Sanct. Doct. Ep. 185. alias 50. *Ad Bonifacium* Comitem.) *Aliter enim ſervit, quia homo eſt, aliter quia etiam Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſervit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex eſt, ſervit Leges juſta præcipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo, ſicut ſervivit Ezechias, lucos, & templa idolorum, & illa Excelſa, quæ contra præcepta Dei fuerant conſtructa deſtruendo: ſicut ſervivit Joſias talia & ipſe faciendo: ſicut ſervivit Rex Ninivitarum, univerſam civitatem ad placandum Dominum compellendo: ſicut ſervivit Darius, Idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando: ſicut ſervivit Nabuchodonoſor, omnes in Regno ſuo poſitos a blaſphemando lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſerviunt Domino Reges, in quantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges.*

Pſ. 71. 11.

Et infra: *Poſtquam cœpit impleri, quod ſcriptum eſt*: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſervient illi, *Quis mente ſobrius Regibus dicat, Nolite curare in Regno veſtro a quo teneatur, vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri, non ad vos pertineat in Regno veſtro quis velit eſſe ſive Religioſus ſive ſacrilegus, quibus dici non poteſt, Non ad vos pertineat in Regno veſtro quis velit pudicus eſſe, quis impudicus? Cur enim cum datum ſit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria Legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? An fidem non ſervare levius eſt animam Deo, quam fœminam viro? Aut ſi ea, quæ non contemptu, ſed ignorantia Religionis committuntur, mitius vindicanda, nunquid ideo negligenda ſunt?*

Tuitio Eccleſiæ, proprium Chriſtianorum Principum officium.

Tuitionem Eccleſiæ proprium eſſe Chriſtianorum Principum officium, *S. Iſidorus Hiſpalenſis* confirmant, cujus verba refert Concilium Pariſienſe 6. p. 2. c. 2. *Principes ſæculi* (inquit) *nonnunquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem poteſtatem Diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccleſiam Poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem. Sæpe per Regnum terrenum cæleſte Regnum proficit, ut qui intra Eccleſiam poſiti contra Fidem, & Diſciplinam Eccleſiæ agunt, vigore Principum conterantur, ipſamque Diſciplinam, quam Eccleſiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus ſuperborum Poteſtas Principalis imponat, & ut venerationem mereatur, Poteſtas impertiat. Cognoſcant Principes ſæculi, Deo debere ſe reddere rationem propter Eccleſiam, quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax, & Diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.* Sic Eccleſiam tuiti ſunt Religioſiſſimi Principes Conſtantinus, Theodoſius, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Henricus Pius Imperatores, Clodovæus, Robertus & Ludovicus IX. Reges Chriſtianiſſimi, Reccaredus Hiſpaniæ, Stephanus Hungariæ, & alii quorum nomina, vel Faſtis Eccleſiaſticis, vel Libro vitæ ſunt adſcripta.

Grave peccatum principum, cauſſarum Eccleſiaſticarum cognitionem uſurpantium.

Ad ſæculares tamen Principes non pertinet cognitio, & judicium cauſſarum Eccleſiaſticarum, Fidem præſertim, aut Sacramentorum Adminiſtrationem, Sacros Ritus, ac Diſciplinam ſpectantium, aut alia Divino, vel Eccleſiaſtico Jure Romano Pontifici, & Epiſcopis reſervata. Unde gravis peccati rei ſunt, ſi quando manum ad thuribulum admovere, aut Arcam Domini contingere præſumant, id eſt, Cauſſarum Eccleſiaſticarum cognitionem uſurpare, aut alia Sacerdotum Munia invadere: meritoque metuere debent pœnas terribiles Core, Dathan, & Abiron, & eorum aſſeclis, qui thus adolere Domino auſi ſunt, cum non eſſent de genere Aaron, & Ozæ, qui manum oſtendit ad Arcam Dei, & tenuit eam, a Deo illatas. Hic enim ſubito percuſſus a Domino præter temeritatem juxta Arcam mortuus eſt: illi vero dirupta ſub pedibus eorum terra, deſcenderunt vivi in infernum operti humo, Core ſcilicet, Dathan, & Abiron, & eorum familiæ: & ignis egreſſus a Domino interfecit 250. viros, qui thus adolere præſumpſerant. (*Num.* 16. & 2. *Regum* 6. ac 1. *Paral.* 13.) Sed & Oziæ Regis temeritas, & pœna Principibus ob oculos ponenda eſt, qui thus adolere ſuper Altare thymiamatis cum tentaſſet, minatuſque fuiſſet Sacerdotibus, lepra percuſſus eſt ad obitum uſque illi inhærente, ac de Templo ejectus, atque in domo ſeparata extra omne commercium hominum habitare compulſus eſt; Joatham filio ejus Regnum adminiſtrante (2. *Paral.* 26.)

Recta juſtitiæ adminiſtratio Principum, & Magiſtratuum officium.

5. Officium denique Principum, ac Magiſtratuum eſt, juſtitiam recte adminiſtrare, pauperes, viduas, pupillos tueri, cauſſas ad tribunal ſuum delatas diligenter cognoſcere, & examinare, abſque perſonarum acceptione jus unicuique reddere, improbos coercere ſeveritate legum, probos fovere. Quod Regis, ac Magiſtratuum officium exponitur Job 29. *Quando*, inquit, *procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi . . . Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adjutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me, ſicut veſtimento, & diademate judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum: & cauſſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam, Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*. Prov. 20. *Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo... Diſſipat impios Rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem... Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus*. Et c. 29. *Rex juſtus erigit terram, vir avarus deſtruet eam.. Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur*. Item Sap. 1. *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum*. Et cap. 6. *Audite ergo Reges, & intelligite, diſcite Judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis Nationum: quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis Miniſtri Regni illius, non recte judicaſtis, nec cuſtodiſtis Legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende, & cito apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia; Potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam, quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio*. Iſ. 1. *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & cauſſa viduæ non ingreditur ad illos*. Et c. 5. *Væ, qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo. Propter hoc, ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet*. Cap. 10. *Væ, qui condunt Leges iniquas, & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt: ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam veſtram, ne incurvemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis?* Eccl. 10. *Regnum a gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.*

Principum officium in judiciis ordinandis, vel exercendis.

Præclara ſunt, quæ de Miniſterio Principum in Judiciis ordinandis, vel exercendis tradit Conc. Pariſienſe 6. p. 2. c. 2. *Regale Miniſterium*, inquit, *eſt populum Dei gubernare, & regere cum æquitate, & juſtitia, & ut pacem, & concordiam habeant, ſtudere. Ipſe enim debet primo Defenſor eſſe Eccleſiarum, & ſervorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipſius enim fervor, & ſtudium hujuſmodi eſſe debet, primo ut nulla injuſtitia fiat, deinde ſi evenit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat, nec ſpem delıteſcendi, ſive male agendi audaciam cuique relinquat, ſed ſciant omnes, quoniam ſi ad ipſius notitiam pervenerit quidquam mali, quod admiſerint, nequaquam incorrectum, vel inultum remanebit, ſed juxta facti qualitatem erit & modus juſtæ correptionis. Quapropter in Throno Regiminis poſitus eſt ad judicia recte peragenda, ut ipſe per ſe provideat, & perquirat ne in judicio aliquis a veritate, & æquitate declinet. Scire etiam debet, quod cauſſa, quam juxta Miniſterium ſibi commiſſum adminiſtrat, non hominum, ſed Dei cauſſa exiſtit, cui pro miniſterio, quod ſuſcepit, in examinis tremendi die rationem redditurus eſt. Et ideo oportet ut ipſe, qui Judex eſt Judicum, cauſſam pauperum ad ſe ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab conſtituti ſunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuſte, aut negligenter pauperes oppreſſiones pati permittant.*

Et cap. 3. *Ad peccatum Regis pertinet, quando Judicibus, Miniſtriſque iniquis Miniſterium ſuum adimplendum committit. Neque enim Miniſterium ſuum per alios tantum adminiſtrare, & ſe ab eo debet alienare. Non ergo dicimus, ut ſolus jurgia, & querimonias populi audiat, & inveſtiget, & definiat, quoniam nequaquam ad hæc ſolus ſufficere poteſt, ſed magis, ut tales ſub ſe timentes Deum, & avaritiam odientes conſtituat, per quos Regem Regum non offendat.*

Judicum dotes.

Judices ergo, & Magiſtratus, ſcientia, probitate, & æquitate conſpicui eſſe debent, ut ſuo Munere digni ſint, illoque recte fungantur. Tales conſtituere Princeps debet: omnium alioqui peccatorum reus erit, quæ ipſi in exercendis Judiciis committent. Prudentiſſimum, & a Deo probatum conſilium Moyſi Jethro dedit, Exodi 18. *Proinde* (inquit) *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent Populum omni tempore, quicquid autem majus fuerit, referant ad te.* Hinc Moyſes Deuter. cap. 1. ſic Populum alloquitur; *Dixi vobis, Non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere, & pondus, ac jurgia. Date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, & quorum converſatio ſit probata in Tribubus veſtris, ut ponam eos vobis Principes. Tunc reſpondiſtis mihi: Bona res eſt, quam vis facere. Tulique de Tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles, & conſtitui eos Principes, Tribunos, Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui docerent vos ſingula. Præcepique eis, dicens; Audite illos, & quod juſtum eſt, judicate; ſive civis ille ſit, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.*

Judicum peccata.

Qui ergo Legum imperiti ſunt, & ſapientia, prudentiaque ad exercendum Judicium neceſſaria deſtituti, lethalis peccati rei ſunt, ſi Magiſtratum ſuſcipiant, & in ſtatu peccati ac damnationis æternæ verſantur, quandiu illum retinent, ac gerunt, nec abſolvi poſſunt in foro Pœnitentiæ, donec abdicaverint. Lethalis item peccati rei ſunt, qui perſonarum acceptione pervertunt judicia, qui munera accipiunt; qui ultra ſtipendia ſibi Legibus, & Regiis Conſtitutionibus, vel conſuetudine conſtituta aliquid exigunt, vel recipiunt, qui ſecundum Leges non judicant, qui reos abſolvunt, aut inſontes condemnant, qui Juris ordinem pervertunt, aliquem ſine accuſatore, vel denuntiatore, & legitimis teſtibus damnantes, non vocatum, nec auditum. Unde *Actuum* 25. *Feſtus* Præſes *Agrippæ* Regi ait: *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi ad abluenda crimina.* Gravis item peccati rei ſunt Judices, qui viduarum, pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum cauſſas negligunt, qui lites protrahunt cum damno partium, qui facilem audientiam non præbent partibus. Quæ quidem facilitas quam ſit neceſſaria, inde intelligitur, quod Judices antiquitus in porta civitatis ad judicandum ſedebant, ut nulli difficilis ad ipſos aditus eſſet, aut quiſquam civium vim, aut calumniam pati cogeretur.

Judices malo delectu a Principibus conſtituendi.

Denique graviſſimum eſſe peccatum Principum, qui pravos Judices conſtituunt, & neceſſarium ea in re delectum non habent, Conc. Pariſienſe 6. cap. 3. ex *S. Iſidoro Hiſpalenſi* docet, cujus hæc ſunt verba: *Ad delictum pertinet Principum, qui pravos Judices contra voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. Nam ſicut Populi delictum eſt, quando Principes mali ſunt, ſic Principis eſt peccatum, quando Judices iniqui exiſtunt. Bonus Judex ſicut nocere civibus neſcit, ita prodeſſe omnibus novit. Aliis enim præſtat cenſuram juſtitiæ, alios bonitate judicii ſine perſonarum acceptione ſuſcipit. Non infirmat juſtitiam avaritiæ flamma, nec ſtudet auferre alteri quod cupiat ſibi. Boni Judices juſtitiam ad ſolam obtinendam ſalutem æternam ſuſcipiunt, nec eam muneribus acceptis diſtribuunt: ut dum de juſto judicio temporalia lucra non appetunt, præmio æterno ditentur.*

Magiſtratibus etiam Dei nomine denuntiandum eſt, quod quicquid judicaverint, in eos redundabit, ut de Judicibus a ſe in cunctis civitatibus Juda conſtitutis ſignificavit *Joſaphat* Rex Piiſſimus (2. *Paral. p. c.* 19.) *Videte*, ait, *quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini: & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Si timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.*

§. IV. *Dominorum erga Servos Officia.*

Domini ſervis debent benevolentiam.

DOminorum erga ſervos officia ſunt benevolentia ſincera, & caritas, cura illorum cum in neceſſitatibus animæ, tum corporis, diſciplina, & correctio manſuetudine temperata. De quibus præcepta variis Scripturæ locis tradit Spiritus Sanctus Eccleſiaſt. 7. 22. 23. *Non lædas ſervum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam. Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* Et c. 30. *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta.* Ad *Epheſios* c. 6. ubi Apoſtolus ſervorum erga dominos officia deſcripſit, ad dominos ſermonem convertit. *Et vos Domini*, inquit, *eadem facite illis, remittentes minas: ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cælis: & perſonarum acceptio non eſt apud eum*. Ad Coloſſ. 4. *Domini, quod juſtum eſt, & æquum, ſervis præſtate, ſcientes, quod & vos Dominum habetis in cælo*. Et 1. ad Timoth. 5. *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Servis igitur alimenta debent domini, ſtipendiaque, de quibus inter illos conventum eſt, ſufficientia, ſecundum labores, & obſequiorum menſuram, ac regionis conſuetudinem, nec unquam ipſos mercede fraudare, aut eam apud ſe retinere, vel differre debent contra præceptum Dei, *Levitici*, c. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane*. Et Deut. 24. *Eodem die reddes ei mercedem laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam, ne clamet contra te ad Dominum, & re-*

Domini curam gerere debent ſervorum in ſpiritualibus, & temporalibus.